34-7-B-29- 4 165

MOTIVUM JURIS

D. NICOLAI DU BOIS

Sacrarum litterarum Lovanii Regii & Primarii Profeſſoris Appellantis à decreto M. Rectoris ad ipſam Univerſitatem, ſeu judicem alias competentem, in cauſa frequentationis Parochiarum, & prohibitionis certi libelli per ipſum compoſiti ſuper 45. propoſitionibus nuper à S. D. N. damnatis, & in praxi pernicioſis.

ARTICULUS PRIMUS

Caſus præſentis controverſiæ.

1. APpellans in libello præfato *propoſitione 16. num. 411. & ſeqq.* agendo de obligatione frequentandi Parochiales Eccleſias in ordine ad ſacrum audiendum, retulit verba *Extravagantis vices illius, De treuga & pace*, & cum Sixto IV. dixit de jure cautum eſſe Parochianos Dominicis & feſtivis diebus teneri audire miſſam in eorum Eccleſia Parochiali, niſi forſan ex honeſta cauſa ſe abſentarent *num.* 411.

2. Tum *num.* 412. ex communi doctrina addidit: *ſed honeſtas illa cauſa Parochianorum relinquitur diſcretioni, ſive proveniat occaſione vicinitatis loci, ſive confeſſionis, communionis, indulgentiarum, majoris devotionis* &c. quibus verbis ſatis ſuppoſuit quod alibi miſſa ex cauſa aliqua honeſta audiretur.

3. Et hoc ipſum magis expreſſit *num.* 413. referendo Bullam Leonis X. datam anno 1517. 13. Novembris, quæ ſic habet: *authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, notum facimus, omnes Chriſti fideles utriuſque ſexus, qui, non contempto proprio ſacerdote, in Eccleſiis fratrum Ordinum Mendicantium dominicis & feſtis diebus miſſas audiunt ſatisfacere Eccleſiæ præcepto, de audienda miſſa, nec in labem peccati mortalis, pœnamve propterea incurrere, in contrarium facientibus nonobſtantibus quibuſcumque.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4. Agendo autem de confeſſione & communione paſchali, de quibus extat præceptum in c. *omnis utriuſque ſexus. De pœnitentiis*, expreſſè locutus eſt iiſdem verbis, quibus Lateranenſe Concilium ſub Leone X. (quod etiam citavit) nempe Regularibus confitentes, conſtitutioni, quæ incipit: *omnis utriuſque ſexus*, quoad confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur. Ita *num.* 396.

5. Item agens de aliis Eccleſiæ officiis & concione retulit *num.* 414. Bullam Pii V. dicentis *fideles audiendo miſſam & alia divina in Eccleſiis Regularium, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfacere*, ſuppoſuitque (quod notorium eſt) Regulares habere privilegia concionandi, & dixit *num.* 415. poſſe parochianum, omiſsâ parochiâ ſuâ, ſe conferre ad Eccleſiam Regularem die dominico, ut ibi audiat miſſam & concionem.

6. Et ne prædictis, ac fidelium receptæ praxi quiſpiam putaret obſtare Tridentinum Concilium in verbis jam referendis *num.*.... Appellans obligationem, quæ innuitur in eodem per verbum ACCEDANT, & verbum TENERI, explicuit eo modo, quo Sixtus IV. ac Doctores eum ſecuti, explicuerunt verbum TENERI in dicta Extravagante; nempe quod non denotaret obligationem ſtricti juris, eo quòd poſſet quis ex honeſta cauſa, omiſsâ Eccleſiâ Parochiali, ſe conferre ad Regularem.

7. Edito & publicato libello ſub finem Auguſti, contra eumdem die 18. Septembris anni currentis 1666. RR. DD. Paſtores Oppidi Lovanienſis præſentarunt M. Rectori hujus Univerſitatis libellum ſupplicem ſubjunctum.

8. *Exponunt debitâ cum reverentia Paſtores Oppidi Lovanienſis, quod paucos ab hinc dies prodierit liber authore Nicolao du Bois, Theologo & juriſconſulto &c. continens inter cætera ad propoſitionem 15. art. 4. §. 416. ex dictis patet quod in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. dicitur monendum eſſe populum, ut ad parochias ſuas accedant, ſaltem diebus Dominicis & Feſtis, & quod ſeſſ. 24. ibidem de Reformatione: moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei, de honeſtate quadam, non de ſtricto jure eſſe intelligendum. Quod cum repugnet doctrinæ Catholicæ, & ſit pernicioſum ſaluti Credentium.*

9. *Ideo recurrunt ad Mag. Veſtram, eandem enixè rogantes, ut officio ſuo nobili prohibeat, ne quiſquam ſuppoſitorum dictum librum vendat, aut legat, aut articulum illum prædicet, ſub pœna interdicti, vel excommunicationis, aut aliâ arbitrariâ, ſeu alio opportuniori modo tam pernicioſæ doctrinæ occurrat. Quod faciendo &c.*

Super

10. Super quo decrevit D. Rector ut ſequitur. *Communicetur parti, ut intrà triduum ab inſinuatione deliberet ad contenta hujus libelli, ſubjiciendo interim arreſto omnia & quæcumque exemplaria libri, de quo in eodem, exiſtentia, ſub manibus Typographi, ſeu Impreſſoris, donec & quouſque, re penitus examinatâ, dictâque parte auditâ, aliter per nos ordinatum fuerit.*

11. Apoſtilla hujus, & Paſtorum libellus defertur per Apparitorem ad Appellantem eâdem die 18. ſub ſeptimam veſpertinam, quem Appellans acceptavit ut inſinuatum proximo ſequenti die feriato (jam enim ſol occubuerat) ne apparitorem novâ excurſione moleſtaret, & ne videretur Rectorem contemnere.

12. Conformiter ad dictam apoſtillam, quæ ipſum manifeſtè admittebat ad reſpondendum, & partem ſeu Reum conſtituebat in judicio à Paſtoribus inchoato, detulit die 13. reſcriptionem ſuam ad M. D. Rectorem.

13. Apud quem poſtquam inſtantiſſimè tribus ferè horis inſtitiſſet, non potuit obtinere aliud, quam ſubſequentem declarationem.

14. *Infraſcriptus declaro quod die 23. menſis Septembris ad me venerit D. Profeſſor du Bois, exhibiturus reſcriptionem contra libellum V. V. D. D. Paſtorum hujus Oppidi 18. hujus ipſi inſinuatum; cui reſpondi non eſſe opus reſcriptione, eamque apoſtillare nolui; eo quod actores proteſtati eſſent, quod nollent litem ingredi,* NEC UNQUAM EUM ANIMUM HABUERINT, ETIAM TUNC CUM LIBELLUM SUPPLICEM PRÆSENTARUNT. *In quorum fidem ſignavi die quâ ſupra 23. Sept. 1666. J. G. Blanche p. t. Rector.*

15. Appellans non admiſſus ad ſui defenſionem, conſtituit ſe actorem & 24. ejuſdem præſentavit adverſus Paſtores libellum ſupplicem injuriarum, concludens, *ut probarent doctrinam ipſius eſſe pernicioſam ſaluti, & Catholicæ fidei repugnantem, aut injuriam illatam revocarent, petens denuò arreſtum injectum tolli.*

16. Quibus addidit: *quia autem ad Sedis Apoſtolicæ judicium ſpectat determinare, an doctrina aliqua ſit pernicioſa ſaluti credentium, aut Catholicæ fidei repugnans, petit ut, ſine præjuditio aliorum ſupra expreſſorum, hic articulus, cauſâ ſuper eo inſtructâ, tranſmittatur ad ſuam Sanctitatem decidendus.*

17. Super quo declaravit M. D. Rector *velle ſe deliberare*, & die 25. tulit decretum tenoris ſequentis, die 26. publicè diverſis locis affixum.

18. *Joannes Guilielmus Blanche I. V. Doctor Almæ Univerſitatis Studii generalis Oppidi Lovanienſis Rector, Univerſis hoc decretum viſuris, lecturis, aut legi audituris, ſalutem in Domino. Prodiit paucos ante dies, li-*

ber cui titulus, Nicolai du Bois Theologi & Juriſconſulti, ſacrarum litterarum in Univerſitate Lovanienſi Regii & Primarii Profeſſoris, ad quadraginta quinque propoſitiones in praxi pernicioſas, & nuper damnatas, ac quaſdam cenſuras, tractatus duo, in quorum primo &c. Lovanii apud Petrum Saſſenum. Quo falsò adſcribit doctoribus Theologis hujus Academiæ, optimè meritis de republicâ Chriſtianâ, aliquas ex propoſitionibus per Brevia S. Domini noſtri Alexandri Pontificis nuper damnatis; ac deinde in explicandis dictis propoſitionibus per eundem S. Dominum cenſuratis, occaſione quaſitâ, præſumpſit aſſerere: non eſſe obligationem frequentandi parochias aliam quam honeſtatis, etiam in ordine ad audiendum verbum Dei; quod omnino ſcandaloſum eſt, & minimè conſonum doctrinæ Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 4. de Reformat. & declarationi præfati S. Domini ad propoſitiones quartam & quintam contentas in Brevi directo ad Epiſcopum Andegavenſem anno 1659 Quorum ratione cum in Oppido ac Civitate Lovanienſi inter ſubditos noſtros graves contentiones & controverſiæ exortæ ſint, & majores exorituræ timeantur: pro muneris quo fungimur debito, dictum librum, ex judicio & aſſenſu præcipuorum hujus Academiæ S. Th. ac I. V. Doctorum, prohibendum cenſuimus; prout & eundem prohibemus. Mandantes Typographo qui illum impreſſit, ne eundem hic, vel alibi, diſtrahat aut diſtrahi procuret; ſed omnia exemplaria ad manus noſtras quantocius deferat, ſub pœnâ quinquaginta aureorum, aut aliâ arbitrariâ, pro qualitate contraventionis, per Promotorem noſtrum irremiſſibiliter exigendâ. Datum Lovanii ſub ſigillo noſtro Rectorali, & ſignaturâ Secretarii noſtri pro tempore, anno à Circumciſione Domini 1666. Sept. die. 25.

ARTICULUS SECUNDUS.

Examinatur decretum hoc.

19. DEcretum continet tres accuſationis, condemnationiſque partes: quarum prima eſt quod *falsò adſcribat Doct. Theol. hujus Academiæ optimè meritis de Republica Chriſtiana aliquas ex propoſitionibus per Brevia S. D. N. Alexandri Pontificis nuper damnatis* 2. quod *præſumpſit aſſerere non eſſe obligationem frequentandi parochias, aliam quam honeſtatis*, E T I A M *in ordine ad audiendum verbum Dei.* 3. quod *eorum ratione in Oppido ac Civitate Lovanienſi inter ſubditos ſuos graves contentiones & controverſiæ exortæ ſint, & majores exorituræ timeantur.*

20. Partes has Almæ Univerſitati perpendendas breviter propoſiturus

turus dicit Appellans ex libello per DD. Paſtores oblato conſtare maniſeſtè ipſos eum detuliſſe ſuper ſecunda decreti parte. Quis autem ſuper prima, & tertia detulerit? ignorat penitus, nec ex decreto apparet; addens neutram illarum fuiſſe probatam, nec probari poſſe.

20. De verbo Dei autem, nihil aliud docuit, quam quod hactenus obſervavit uſus, & conſuit pia fidelium praxis à Tridentino Concilio huc uſque, præclarorum etiam doctorum infrà allegandorum authoritate, & ratione confirmata.

21. Quâ in parte, ſi quid aſſeruit à *num.* 384. uſque ad 430. non aliâ occaſione & ſtudio fecit, quam ut diſcipulos ſuos, ad munia Paſtoralia inſtituendos, doceret ſimul, *quænam fidelibus Chriſtianis eſſet conceſſa libertas confitendi Regularibus, miſſam apud eoſdem, & concionem audiendi citrà ulteriorem obligationem eundi ad parochiam in ordine ad prædicta.*

22. Evulgatum enim erat quendam Theologum hujus Univerſitatis nuper promotum ad Paſtoratum cujuſdam Pagi propè Anghiam, per litteras privatas præcepiſſe cuidam Magnati Domino Temporali ejuſdem, ut ipſe, ejuſque uxor ſibi, tanquam Paſtori, confiterentur in Paſchate noviſſimè præterito, & quod ad hoc tenerentur ſub peccato, & per alias inhibuerit Superiori cujuſdam Monaſterii Oppidi Anghienſis, ne iſtius Domini, ejuſque uxoris confeſſiones auderet excipere; unde graves contentiones ortæ ſunt, & ſcandala; etiam cum detrimento Eccleſiæ Parochialis.

23. Pariter currebat fama quod ipſe, pluresque alii concionarentur quemlibet indiſcriminatim teneri ſub peccato intereſſe miſſæ & concioni Parochiali.

24. Ut ergo prædicta aut ſimilia diſcipuli ejus, poſtmodum ad Paſtoratus promoti, non attentarent, aut indebitè prætenderent, nonnulla, quæ credidit praxi, & Religioſorum Ordinum privilegiis conformia circa obligationem frequentandi, inſeruit.

25. Nuſquam autem negavit obligationem accedendi parochiam communionis paſchalis causâ. Sed potius expreſsè aſſeruit eandem *nu.* 396. ut ſupra oſtendit ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *nu.* 3.

26. Deinde quod dixit de Sacro, & verbo Dei, non dixit ſimpliciter & abſolutè, prout in decreto M. D. Rectoris inſinuatur: Sed dixit ſolùm reſpectivè, & ſuppoſitis Mendicantium privilegiis; Alias, & ceſſante eorum uſu, expreſſum agnovit & poſuit præceptum, ut patet ex ſuprafcript. *nu.* 3. & 5.

27. Tum

27. Tum reſpectivè ad illa, & non aliter, *num.* 416. ita ſcripſit, *Ex dictis patet, quod in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. dicitur, monendum eſſe populum, ut ad parochias ſuas accedant diebus Dominicis & feſtis*, & quod ſeſſ. 24. ibid. de reformat. *moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei, de honeſtate quadam, non de ſtricto jure eſſe intelligendum.*

28. Dum enim dicendo, *ex dictis patet*, ſe refert ad prædicta, ſatis agnoſcit præceptum: ſed dùm in prædictis dicitur *illi præcepto ſatisfieri audiendo miſſam, & alia divina officia apud Regulares*, ſatis clarè videtur conſequens quod, ſuppoſitis dictis privilegiis, ſeu eorum uſu, non remaneat alia obligatio parochiam accedendi ratione miſſæ, & concionis, quam obligatio honeſtatis.

29. Quâ loquendi formulâ utitur Pontifex expreſsè in Extravag. *Vices illius. De treugâ & pace*, ubi agens de obligatione audiendæ miſſæ (quæ communi judicio gravior eſt, quam concionis) dicit, *parochianos teneri audire miſſam in Eccleſia parochiali, niſi forſan ex honeſtâ causâ ab ipsâ Eccleſiâ ſe abſentarent.*

30. Hanc Extravagantem ſic hactenus uſus piorum fidelium interpretatus eſt, ut honeſtas illa cauſæ relinquatur parochianorum diſcretioni, ſive proveniat ratione majoris devotionis, decentiæ, officii confeſſionis, communionis, indulgentiarum &c. *Navarrus in Enchiridio cap.* 21. Nihil ergo alienum à jure dixit.

31. Neque etiam de omni verbo Dei egit Appellans, prout videtur inſinuari in Rectorali decreto; ſed ſolum de illo, quod importatur in illo Tridentini verſiculo cap. 4. ſeſſ. 24. de reformat. *Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.*

32. Hunc verſum non de quolibet verbo Dei, ſed ſpecialiter de concione (in qua Evangelium vel Epiſtola occurrentis diei ſolet explicari) intellexerunt Doct. ut patebit infra. Et ſic poſt illos intellexit Appellans, dum dicto *num.* 416. expreſsè ſubjunxit hanc rationem: *nam nullis pœnis cogi poſſe populum ad concionem in Eccleſia parochiali audiendam declaravit ſacra Congregatio*: deinde ad calcem libri adjunxit, ſeu citavit Weymſium, prædictum locum ſpecialiter de concione explicantem. Eamque explicationem poſtulat ipſe Tridentini Concil. textus párum infrà ſubjungendus.

33. Ex quibus apparet quod perperam accuſetur, damneturque quaſi ſimpli-

ſimpliciter & abſolutè dixerit non eſſe obligationem frequentandi parochias aliam quam honeſtatis, etiam in ordine ad audiendum verbum Dei.

34. Hâc enim particulâ ETIAM, inſinuatur quod Appellans docuerit nulla de cauſa adeundam eſſe parochiam.

35. Ea enim eſt vis prædictæ particulæ implicicativæ ETIAM ut ultrà expreſſam ſpeciem contineat cæteras non expreſſas, quamvis majores eſſent expreſſis. Ita tradunt communiter Doctores, quos longo ordine refert Barboſa *dictione* 12, *nu*. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

36. Cum tamen contrarium pateat evidenter tam ex dicto libro, quam ex *num*. 4. *ſuprà*.

ARTICULUS TERTIUS.

Refertur textus Concilii Tridentini ſeſſ. 24. *cap.* 4. *de reformat.*

37. *PRædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus, quo frequentius poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones aliàs ſuper hoc editos, ſub fel. rec. Paulo III. aptiùs præſentium temporum uſui accommodando, mandat ut in Eccleſiâ ſuâ ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument, in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſive iis impeditis, per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent, deputandos in Civitate, aut in quâcumque parte Diœceſis, cenſebunt expedire, ſaltem omnibus Dominicis, & ſolemnibus diebus feſtis: tempore autem jejuniorum, quadrageſima & adventus Domini quotidiè, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras ſcripturas, divinamque legem annuncient, & aliàs quotieſcumque id opportunè fieri poſſe judicaverint. Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſæcularis ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. Iiſdem etiam ſaltem diebus Dominicis, & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis parochiis fidei rudimenta, obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, &, ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent: non obſtantibus privilegiis & conſuetudinibus. In reliquis, ea quæ de prædicationis munere ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.*

Perpenditur ipſe textus, & Doctores referuntur, ex quibus conſtat quod in verſu MONEATQUE, *non agatur niſi de prædicatione, ſeu concione.*

38. PArtem illam, MONEATQUE EPISCOPUS &c. de concione ſeu prædicatione intelligi docet ipſe textus, dum in principio, ſeu ante dictum verſum, MONEATQUE, expreſsè & nominatim agit de *Prædicatione*: deinde ſtatim poſt verſum eundem, Concilii Patres ſubjunxerunt, *nullus autem ſæcularis, ſive Regularis, contradicente Epiſcopo,* PRÆDICARE *præſumat.*

39. Verba ergò illa intermedia, MONEATQUE &c. de eâdem materiâ intelligenda ſunt, ne alias mediam ab extremis avulſam periodũ, & incongruentem loquendi modum contineat, & ſenſum purè deſultorium reddat.

40. Eandem interpretationem poſtulat finalis clauſula ejuſdem capitis, in quâ ſpecialiter de alio Dei verbo, ſeu fidei rudimentis & morum principiis agitur.

41. Eundem ſenſum poſtulat particula conjunctiva, QUE, in verbo MONEATQUE, & particula ſubjuncta AUTEM, quæ, ultra ſermonis continuationem, importat repetitionem qualitatum orationis præcedentis. Gloſſ. & Barth. *in l. 29. §. fin. ff. ad. l. Jul. de adult.* Bald. *in l. omnes ff. de juſt. & jur.* plurimique alii.

42. Rectiſſimè ergo prædictum verſum MONEATQUE &c. de concione, ſeu de prædicatione intellexit Stephanus Weymſius in Univerſitate Lovanienſi Anteceſſor primarius ad conſtitutiones *per Tridentinum Concilium innovatas ſuper conſtituit. 5. in fine*, & poſt eum Clariſſimus D. de Paepe ſacrorum Canonum Lovanii, nec non Appellantis quondam Profeſſor, à quo & accepit.

43. Sic autem ſcribit Weymſius: *interim ex Synodo Tridentinâ debent Epiſcopi diligenter monere, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Indéque mota quæſtio, an id ſit præcepti & neceſſitatis, an liberi arbitrii? In præceptum ſonare videtur verbum teneri, prout annuere videtur Navarrus, Summa Angelica, & Summa Sylveſtrina,* quos

quos citat Thomas Zerola. Verùm cum Concilium Tridentinum reperiatur aliquam modificationem adjeciſſe his verbis : ubi id commodè fieri poteſt, *videtur meram neceſſitatem vel obligationem ex præcepto minimè impoſuiſſe. Quod & confirmatur ex communi more quo videmus viros pios & doctos frequenter alibi audire verbum Dei, quam in propriâ Parochia : quia ſcilicet ipſis magis placet.*

44. Similiter de concione locum illum intelligit Barboſa *in collectan.* ſuper Con. Trid. *ad dictum cap.* 4. *n.* 15. edit. Lugd. ità ſcribens: *pro audiendâ prædicatione teneri unumquemque parochia ſuæ intereſſe, ſi id commodè fieri poteſt, per hoc decretum tradunt &c.*

45. Item Joannes Gutticrez *Canon. quæſt. lib.* 1. *cap.* 30. *n.* 34. ubi ſcribit, *non obeſt etiam alterum decretum de reformat. cap.* 4. *ſeſſ.* 24. *quatenus habet*, teneri quem ad audiendam concionem in parochiâ ſuâ ſi commodè poteſt, *quia ibi non agitur de miſſâ, ſed de* CONCIONE.

46. Ioanni Gutierez accedit Navarrus in Manual. *cap.* 21. *in fine: idem Concilium*, inquit, *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. de reformat. *jubet ordinariis ut moneant teneri parochianos ire ad audiendam* CONCIONEM *in ſuis parochiis, quoties commodè potuerit.*

47. Cum ergo Appellans in libello ſuo *dicto nu.* 416. non de alio verſu *dicti capitis* 4. egerit, quam de illo, MONEATQUE EPISCOPUS, in quo, propter antecedentia & conſequentia, non agitur, nec egit ipſe de omni verbo Dei, ſed tantum DE CONCIONE, & ſuppoſitis (ut dictum eſt) Regularium privilegiis, non debuit condemnari quaſi negaſſet *teneri parochianos frequentare parochiam in ordine ad audiendum verbum Dei quodcumque*, prout decretum ſimpliciter loquendo inſinuat.

48. Quia nuſquam intendit docere, nec docuit parochianos non teneri frequentare parochiam in ordine ad percipienda fidei rudimenta, & illa quæ non ſolent paſſim à Mendicantibus in ſuis Eccleſiis tradi, ſed communiter ſolum in parochiis.

49. His præmiſſis, oſtenſurus non eſſe ex Trid. Con. eam obligationem frequentandi concionem parochialem, expendenda proponet breviter. 1. Iterum ipſa Concilii verba. 2. Communem Doctorum hac de re ſententiam. 3. Ipſa Regularium privilegia.

Diſcutitur iterum verſus ille, MONEATQVE EPISCOPUS, *& ſingulariter dictio* TENERI.

50. **A**Iunt Concilii Patres, *moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.*

51. Verba illa, & ſimilia, *tenetur*, *oportet*, *debet*, duplicem habent in jure ſignificationem. Aliquando important ſtricti juris debitum, aliquando debitum decentiæ & honeſtatis.

52. De hac ſignificatione in materiâ Canonum, de quâ agimus, teſtatur Gloſſa *in cap.* 1. *de præſcrip. in* 6. *& in can.* 1. *cauſ.* 25. *q.* 1. item Gratianus, *diſceptationum forenſium cap.* 146. *nu.* 18. ubi ita ſcribit.

53. *Secundum ſubjectam materiam hujuſmodi verba*, OPORTET, *& ſimilia ſignificant etiam* DECENTIAM ET HONESTATEM Socin. *in cap.* 1. *in principio col.* 2. *in* 6. *notabi. num.* 6. *de libel. oblat.* Felinus *in cap. ſi qui teſtium n.* 3. *de teſtibus ubi late Addit.*, *in verbo* OPORTET. *Et quod illud verbum, ratione ſubjectæ materiæ, reſolvitur in voluntatem, tenet gloſſa in leg.* 1. *verb. neceſſarium ff. ſoluto matrimonio, & in leg.* 1. *verb. prius ff. de juſt. & jur. prout verbum*, debet, *quod neque ſemper neceſſitatem importat, quamvis illi addatur dictio*, omnino. Abbas *in cap.* 1. *n.* 7. *in gloß. ult. x. de deſpons. impub.* Felinus *in cap.* 4. *n.* 6. *de Conſtitut. Ideo etiam verbum* OPORTET *ponitur pro conſentaneo & opportuno Rebuff. in leg. verbum oportere, de verbo ſignific.* Hactenus Gratianus.

54. Gratiano conſonat Barboſa, *dict. uſufrequent.* 77. *n.* 6. ubi de ſimili verbo ait, *ſecundum ſubjectam materiam importat debitum ſolius honeſtatis. Quod accidit quando, ſi importaret præceptum, abſurdus intellectus, vel juris correctio reſultaret.* Citatque Bartholum *in leg. creditor. Cod. de pignoribus.*

55. Simile quid Scribit Calvinus *in Lexico jurid. litt. d. verbum* DEBET, inquit, *neceſſitatem importat, quandoque tamen & honeſtatem &c.*

56. Item Alexander Scot. *In apparatu latinæ locutionis*, verbo, oportet, ſcribit expreſsè, OPORTERE *aliquando idem eſſe quod* DECERE *temporibus & perſonis.*

57 Et ut propinquiùs accedamus ad præſentem materiam, obligationem ſcilicet frequentandi parochias, dicit Appellans verbum, TENERI,

ita

ita expreſsè accipi à Sixto IV. *in Extravag. vices illius, de treuga & pace, inter communes*, ubi dicitur.

58. *Fratres Mendicantes non prædicent populo parochianos non teneri audire miſſam in eorum parochiis diebus Dominicis & feſtivis, cum jure ſit cautum illis diebus parochianos teneri audire miſſam in eorum Eccleſiâ parochiali: niſi forſan* EX CAUSA HONESTA AB IPSA ECCLESIA SE ABSENTARENT. Deinde parum infrà, *de jure tenetur parochianus ſaltem in paſchate confiteri proprio ſacerdoti. Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quominus ſecundum juris communis, & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, confeſſiones audire, & pœnitentias injungere valeant.*

59. Si ex *cauſâ honeſtâ* licet alicui ſe à miſſa parochiali abſentare (honeſtam autem cauſam Doctores cenſent, ſi ad Regulares ſe conferat, *ut ibi devotiùs miſſam audiat, aut illic miſſam & concionem ſimul, aut utiliorem concionem* Navar. *In Manual, cap. 21. n. 5. aut quia frequentius ibidem celebratur quam in parochia*, Panorm. *in cap. 2. de parochiis*;) non poteſt vox TENERI, in dictâ Extravag. importare ſtricti juris obligationem, ſed tantùm obligationem quandam honeſtatis; hoc eſt, quæ demum locum habeat, ſi nulla honeſta cauſa ſubſit, propter quam ad Eccleſias Regularium quis ſe potius conferat, quam ad parochiam.

60. Imò verò Navarrus & Panormitanus ne quidem adhuc tantam agnoſcunt obligationem, quantam expreſſit Appellans. Ambo enim expreſſè docent non aliam requiri honeſtatis cauſam, quam quod abſit contemptus.

61. Nam Panormit. agens de frequentatione Eccleſiæ parochialis, cauſâ audiendæ miſſæ die Dominico, ita ſcribit loco citato; *aut deſeris proprium parochum ſine contemptu, & tunc non peccat.* Idem habet Navarrus *dicto nu. 5.* & tamen audiendæ miſſæ obligatio, cõmuni judicio, major eſt obligatio per ſe loquendo, quam concionis; ut poſt plurimos citatos docet Leander *parte 3. tract. 2. diſput. 1. queſt. 18.*

62. Præterea in dicta Extravagante, *vices illius*, dicitur *Mendicantes non cenſeri excluſos quominus, ſecundum privilegiorum ſuorum diſpoſitionem, confeſſiones audire valeant*: privilegia autem concedunt notoriè, ut fideles iis confitendo, ſatisfaciant præcepto annuæ confeſſionis, ut latè oſtendit Appellans in libello ſuo à *nu. 384.* uſque ad *nu. 430.* Ergo vox illa, TENERI, poſita ſecundo loco in dicta Extravagante, non poteſt importare ſtrictè dictam obligationem.

63. Quibus conſequens eſt quod eadem vox non debeat importare obliga-

bligationem ſtrictè dictam in Con. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. verſ. *moneátque*, quia poſtquam quis fidei rudimenta percepit, non apparet quod ſit major, ac ne quidem apparet tanta obligatio audiendi concionem, quanta ſit audiendæ miſſæ, atque ita cenſuere Præſtantiſſimi Doctores, ut patebit ex ſequentibus.

ARTICULUS SEXTUS.

Referuntur Doctores qui cenſuerunt non eſſe, per dictionem TENERI, *inductam in Tridentino Concilio ſtricti juris obligationem audiendi concionem in Eccleſia Parochiali.*

64. TRidentino Concilio interfuit è Doctoribus Lovanienſibus Ioannes Heſſelius, & quidem jam ſub ejus initium, *Faſti Academici pag.* 114. Circa quod tempus habita eſt ſeſſ. 5. in qua *cap.* 2. *de reformat.* præcipuè agitata eſt concionum materia, & conditum eſt decretum, *quod Archipresbyteri, Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint; diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas, pro ſuâ, & earum capacitate paſcerent ſalutaribus verbis* &c.

65. Quibus verbis idem continetur quod anteà ſtatutum erat in *cap.* 15. *x. de officio Ordinarii*, in Capitularibus Aquisgran. *cap.* 69. & 62. in Capitularibus Eccleſiaſticis Caroli Magni: *cap.* 25. in Capitularibus Epiſcoporum ſub eodem, *cap.* 4. & 5. in Concilio Arelatenſi VI. *cap.* 10. & in Remenſi, (quod proximè ſub eodem Carolo Magno habitum eſt) *cap.* 14. in Concilio Vaſenſi *Can.* 4. nonnulliſque aliis locis relatis à Filharcho, *in libello de origine parœciarum.*

66. Tamen idem Heſſelius, *in Explicatione decalogi cap.* 104. non agnoſcit ſpeciale aliquod præceptum Eccleſiaſticum ſubditos obſtringens, ut interſint CONCIONI PAROCHIALI, ſed tantum legis naturæ & fidei, quo quiſque tenetur diſcere neceſſaria ad ſalutem, qualia doceri poſſunt ab aliis, quam Parochis. Sic enim ſcribit.

67. *Quamquam Eccleſia non præceperit expreſſè, & ſingulis diebus feſtis audiatur concio ſacra, attamen lege naturæ atque fidei tenentur Chriſtiani ea diſcere, quæ ſaluti ſuæ ſunt neceſſaria.*

68. Et

68. Et, quod notandum, Heſſelius Opus ſuum Martino Rithovio Iprenſium Epiſcopo (qui etiam dicto Tridentino interfuit) dedicavit anno 1566. in Ianuario, & ita poſt completum Tridentinum Concilium, cui ſupervixit uſque ad Novembrem ejuſdem anni, ut conſtat ex breviario vitæ ipſius præfixo Operi jam citato. Illudque Opus à Ioanne Molano approbatum fuit.

69. Proindè non cenſuit, vel per Concilium Tridentinum, vel per antiquos Canones, etiam Can. 9. aliàs 10. Apoſt. vel Carthaginenſe 4. cap. 24. relatos *diſt. 1. de conſecrat. can.* 62. & 63. factum eſſe ſpeciale præceptum de prædictâ concione audiendâ; ſed textus hi poſtremi tantum percellunt contemptores, prout ibidem docet Archidiaconus, quem ſecuti ſunt præſtantiſſimi Theologi, & Iuriſconſulti, Bonacina *in tert. precept. diſp.* 5. *quæſt. unic. punct.* 2. ubi etiam reſpondet ad locum Auguſtini relatum in Canone, *interrogo* 1. q. 1.

70. Eidem Tridentino Concilio interſuerunt poſtea Rithovius, ut dictum eſt, & Michael Bayus, *Faſti Academici pag.* 112. & 113. Et hic quidem ab anno 1562. uſque ad finem, *Faſti ibid.* & conſequenter tempore ſeſſ. 24. de quâ quæſtio: nam celebrata eſt anno 1563. die 11. Novemb. & ſequent. Hi ergo accuratiſſimè Tridentini mentem ſciverunt, & tradiderunt diſcipulis.

71. Et tamen dictus Ioannes Molanus horum Doctorum Lovanien. diſcipulus, Lovanienſis & ipſe Doctor, ac Profeſſor, *in Theologia morali practicâ, editâ anno* 1585. *in Decalogum cap.* 9. & approbatâ ab Eſtio Doctore Lovanienſi ita ſcripſit.

72. *Quamquam autem de* CONCIONE SACRA *audiendâ (quod ſub ſacro fieri ſolet)* NON HABEAMUS EXPRESSUM ECCLESIÆ MANDATUM, *videndum tamen eſt, ne in hoc piæ conſuetudini, aut legi naturæ contraveniatur.*

73. Scripſit, inquam, hæc vivente Michaele Bayo, Eccleſiæ Divi Petri Lovanii Decano, *Faſti Academici pag.* 112. in quâ & ipſe Molanus erat Canonicus. Poſt cujus librum editum Bayus quadriennio ſupervixit, *Faſti Academici dictâ pag.* 112.

74. Quod ſi, inſinuante Molano, & permittente Bayo, ſolùm vel piæ conſuetudinis, vel juris naturæ ſit obligatio: nullum reſtat præciſum vinculum in ordine ad Eccleſiam parochialem, niſi, ut dictum eſt, honeſtatis: quia vinculum illud nuſquam naturæ jus, vel conſuetudo determinavit; ſed potius hæc aſſeruit libertatem adeundi aliam Eccleſiam, maximè Regularem.

75. His jungamus alios ordine temporum quo ſcripſerunt, aut ſaltem annorum, quibus eorum Opera impreſſa, toleratque ſunt, ut continuatio ſerieſque ejuſdem opinionis magis appareat.

76. Anno 1601. editus eſt Azorius. Hic, *parte* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 7. *communis eſt*, inquit, *ſententia tali præcepto* (audiendi concionem) *credentes non cogi.*

77. Anno 1604. editus eſt Antuerpiæ Graffiis, qui *parte* 1. *lib.* 2. *cap.* 34. ubi de ſanctificatione ſabbathi, ſeu diei Dominicæ agens, ita ſcribit, *quod ad hujus præcepti* (tertii decalogi) *explicationem pertinet, hoc adimplebit qui ſacrificium miſſæ devotè audierit.*

78 Fagundes impreſſus Lugduni anno 1616. lib. 2. cap. 9. nu. 12 *cum auditio miſſæ ſit de præcepto, & auditio prædicationis ſit de conſilio.*

79. Suares impreſſus Moguntiæ anno 1625. *tom.* 5. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 16. *Denique ad Tridentinum Concilium reſpondeo, cum ipſummet addiderit*, TENERI UBI COMMODÈ FIERI POTEST, *ſatis declaraſſe non loqui de rigoroſâ præcepti obligatione.*

80. Filliucius in Archiepiſcopatu Moguntino ann. 1625. *tract.* 27. *cap.* 8. *n.* 134. *In Tridentino Concilio ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reformat. cum dicitur*, moneat Epiſcopus &c. *indicatur tantum obligatio ex charitate, quâ quiſque tenetur curam gerere ſalutis ſuæ, non ex præcepto Eccleſiæ ad audiendam concionem* &c.

81. Anno 1627. Mauden Theologus ac Iuriſconſultus, Decanus Bredanus, & B. Mariæ de Capella Bruxellis Paſtor, *diſcurſu* 2. *in* 3. *præc.* ita ſcripſit, *quæritur ſecundò an obligentur Horis veſpertinis, & laudibus intereſſe, & concioni parochi? Reſpondeo certum eſſe nullam legem Eccleſiaſticam de eo extare.* Et paulo infra: *obligari autem poteſt quis ad audiendam concionem, quando illi neceſſaria eſt inſtructio, idque magis in parochiali Eccleſiâ.*

82. Si tantum ſit obligatio *ratione neceſſariæ inſtructionis*; ergo non ex vi Tridentini Concilii: quia generatim illud, non de caſu ſolius neceſſitatis loquitur, *ut patebit plenius infra.* Et, ſi in caſu neceſſitatis ſolùm *magis in Parochiali*, nequidem ergo tunc abſoluta obligatio parochiam frequentandi, præſertim diebus Dominicis & feſtis, cum poſſit & ab aliis, & alio quam feſto aut Dominico die, neceſſaria inſtructio obtineri.

83. Dedicavit Dominus Mauden opus ſuum Archiepiſcopo Mechlinienſi Jacobo Boonen, prædicto anno 1627. Uti etiam Weymſius anno 1628. cujus verba retulit Appellans *articulo* 4. hujuſque citatum librum Exim. D. Fabricius S. Th. Lovanii Doctor, ac ibidem Regius, & Apoſtolicus Cenſor approbavit.

84. Anno

84. Anno. 1633. Bonacina Iuris Utriuſque,& Theologiæ Doctor, ac Utriuſque Signaturæ Referendarius Apoſtolicus, *in 3. decalogi præceptum, ſeu tomo 2. diſp. 5. q. unic. punct. 2. n. 27. quares*, ait, *utrum fideles ex vi præcepti debeant etiam concionem audire? Reſpondeo negativè. Ratio eſt, quia nullibi conſtat de hac obligatione* &c. tum parum infrà, *etiamſi admitteremus Paſtores animarum teneri ſingulis Dominicis, aliiſque feſtis ſolemnibus concionari, non tamen hinc inferendum eſſet fideles teneri ſingulis diebus feſtis concioni intereſſe.* Tum ſubjungit rationem diverſitatis, *quod ſcilicet obligatio Paſtoris dirigatur ad ſubveniendum neceſſitati totius populi, obligatio verò fidelium particularis eſt, & reſpicit bonum proprium.*

85. Si ob bonum proprium Ovium obligatio illa Paſtorum inducta eſt, liberum ergò eſſe debet illis, loco concionis Paſtoris, audire concionem alicujus Religioſi pii, & docti viri, ſi hæc ſit audienti utilior: quin pleniùs ſic obtinetur finis à lege intentus.

86. Anno 1650. prodiit Opus Pacis Jordani Epiſcopi Tragurienſis, qui volum. 1. *lib. 6. de prædicatione verbi Dei n.* 105. *&* 106. Ità ſcripſit, *poſſumus dicere eſſe declaratum ſufficienter* (non eſſe gravem obligationem accedendi parochiam) *tum propter Regularium Privilegia à ſummis Pontificibus conceſſa, tum ab univerſali conſuetudine fidelium audiendi miſſas, divina officia, & conciones in Eccleſiis Regularium*, IN QUIBUS MAJORI FREQUENTIÂ ET DECENTIÂ CELEBRATUR.

87. Circa idem tempus impreſſa eſt Medulla Theologiæ moralis Hermani Buſembaum, recuſa Pariſiis, Bruxellis, Cracoviæ, Antverpiæ, Lugduni, Inſulis, Monaſterii Weſtphalorum, imo & Romæ; dedicata diverſis Eccleſiæ Prælatis, quæ omnium manibus teritur; in qua & ejus Author *lib. 3. tract. 3. cap. 1. dub. 4. reſp.* 1. ita ſcribit.

88. Non eſt obligatio audiendi concionem in parochia propria: tum quia DD. multi nullum hac de re præceptum agnoſcunt; cum Trid. *ſeſſ. 24. cap. 4. de reformat.* Dicat *teneri, ubi id commodè fieri poteſt.* Tum quia, ſi qua obligatio fuit, ei derogatum eſt per privilegia Regularium, & generalem conſuetudinem contrariam. Imo Fratres Prædicatores, & Minores, & qui cum ipſis in privilegiis communicant, concionantes in ſuis Eccleſiis, quovis anni tempore poſſunt Auditoribus ſuis concedere 18. annos & 320. dies indulg. nomine Papæ. Dian. p. 4. tr. 4. R. 22. ex Rodriq. &c.

89. Anno 1656. prodiit Bruxellis Theſaurus Doctrinæ Chriſtianæ, per Nicolaum Turlot Præpoſitũ Namurcenſem antea gallicè impreſſus

in

75. His jungamus alios ordine temporum quo ſcripſerunt, aut ſaltem annorum, quibus eorum Opera impreſſa, toleratque ſunt, ut continuatio ſerieſque ejuſdem opinionis magis appareat.

76. Anno 1601. editus eſt Azorius. Hic, *parte* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 7. *communis eſt*, inquit, *ſententia tali præcepto* (audiendi concionem) *credentes non cogi.*

77. Anno 1604. editus eſt Antuerpiæ Graffiis, qui *parte* 1. *lib.* 2. *cap.* 34. ubi de ſanctificatione ſabbathi, ſeu diei Dominicæ agens, ita ſcribit, *quod ad hujus præcepti* (tertii decalogi) *explicationem pertinet, hoc adimplebit qui ſacrificium miſſæ devotè audierit.*

78. Fagundes impreſſus Lugduni anno 1616. lib. 2. cap. 9. nu. 12 *cum auditio miſſæ ſit de præcepto, & auditio prædicationis ſit de conſilio.*

79. Suares impreſſus Moguntiæ anno 1625. *tom.* 5. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 16. *Denique ad Tridentinum Concilium reſpondeo, cum ipſummet addiderit*, TENERI UBI COMMODÈ FIERI POTEST, *ſatis declaraſſe non loqui de rigoroſâ præcepti obligatione.*

80. Filliucius in Archiepiſcopatu Moguntino ann. 1625. *tract.* 27. *cap.* 8. *n.* 134. *In Tridentino Concilio ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reformat. cum dicitur*, moneat Epiſcopus &c. *indicatur tantum obligatio ex charitate, quâ quiſque tenetur curam gerere ſalutis ſuæ, non ex præcepto Eccleſiæ ad audiendam concionem.* &c.

81. Anno 1627. Mauden Theologus ac Iuriſconſultus, Decanus Bredanus, & B. Mariæ de Capella Bruxellis Paſtor, *diſcurſu* 2. *in* 3. *præc.* ita ſcripſit, *quæritur ſecundò an obligemur Horis veſpertinis, & laudibus intereſſe, & concioni parochi? Reſpondeo certum eſſe nullam legem Eccleſiaſticam de eo extare.* Et parum infra: *obligari autem poteſt quis ad audiendam concionem, quando illi neceſſaria eſt inſtructio, idque magis in parochiali Eccleſiâ.*

82. Si tantum ſit obligatio *ratione neceſſariæ inſtructionis*; ergo non ex vi Tridentini Concilii: quia generatim illud, non de caſu ſolius neceſſitatis loquitur, *ut patebit plenius infra.* Et, ſi in caſu neceſſitatis ſolùm *magis in Parochiali*, nequidem ergo tunc abſoluta obligatio parochiam frequentandi, præſertim diebus Dominicis & feſtis, cum poſſit & ab aliis, & alio quam feſto aut Dominico die, neceſſaria inſtructio obtineri.

83. Dedicavit Dominus Mauden opus ſuum Archiepiſcopo Mechlinienſi Jacobo Boonen, prædicto anno 1627. Uti etiam Weymſius anno 1628. cujus verba retulit Appellans *articulo* 4. hujuſque citatum librum Exim. D. Fabricius S. Th. Lovanii Doctor, ac ibidem Regius, & Apoſtolicus Cenſor approbavit.

84. Anno

84. Anno. 1633. Bonacina Iuris Utriuſque, & Theologiæ Doctor, ac Utriuſque Signaturæ Referendarius Apoſtolicus, *in 3. decalogi præceptum, ſeu tomo 2. diſp. 5. q. unic. punct. 2. n. 27. quares*, ait, *utrum fideles ex vi præcepti debeant etiam concionem audire? Reſpondeo negativè. Ratio eſt, quia nullibi conſtat de hac obligatione* &c. tum parum infrà, *etiamſi admitteremus Paſtores animarum teneri ſingulis Dominicis, aliiſque feſtis ſolemnibus concionari, non tamen hinc inferendum eſſet fideles teneri ſingulis diebus feſtis concioni intereſſe.* Tum ſubjungit rationem diverſitatis, *quod ſcilicet obligatio Paſtoris dirigatur ad ſubveniendum neceſsitati totius populi, obligatio verò fidelium particularis eſt, & reſpicit bonum proprium.*

85. Si ob bonum proprium Ovium obligatio illa Paſtorum inducta eſt, liberum ergò eſſe debet illis, loco concionis Paſtoris, audire concionem alicujus Religioſi pii, & docti viri, ſi hæc ſit audienti utilior: quin pleniùs ſic obtinetur finis à lege intentus.

86. Anno 1650. prodiit Opus Pacis Jordani Epiſcopi Tragurienſis, qui volum. 1. *lib. 6. de prædicatione verbi Dei n.* 105. *&* 106. Ità ſcripſit; *poſſumus dicere eſſe declaratum ſufficienter* (non eſſe gravem obligationem accedendi parochiam) *tum propter Regularium Privilegii à ſummis Pontificibus conceſſa, tum ab univerſali conſuetudine fidelium audiendi miſſas, divina officia, & conciones in Eccleſiis Regularium*, IN QUIBUS MAJORI FREQUENTIÂ ET DECENTIÂ CELEBRATUR.

87. Circa idem tempus impreſſa eſt Medulla Theologiæ moralis Hermani Buſembaum, recuſa Pariſiis, Bruxellis, Craconiæ, Antverpiæ, Lugduni, Inſulis, Monaſterii Weſtphalorum, imo & Romæ; dedicata diverſis Eccleſiæ Prælatis, quæ omnium manibus teritur; in qua & ejus Author. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 4. *reſp.* 1. ita ſcribit.

88. Non eſt obligatio audiendi concionem in parochiâ propria: tum quia DD. multi nullum hac de re præceptum agnoſcunt; cum Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reformat.* Dicat *teneri; ubi id commodè fieri poteſt.* Tum quia, ſi qua obligatio fuit, ei derogatum eſt per privilegia Regularium; & generalem conſuetudinem contrariam. Imo Fratres Prædicatores, & Minores, & qui cum ipſis in privilegiis communicant, concionantes in ſuis Eccleſiis, quovis anni tempore poſſunt Auditoribus ſuis concedere 18. annos & 320. dies indulg. nomine Papæ. Dian. p. 4. tr. 4. R. 22. ex Rodriq. &c.

89. Anno 1656. prodiit Bruxellis Theſaurus Doctrinæ Chriſtianæ, per Nicolaum Turlot Præpoſitū Namurcenſem antea gallicè impreſſus

in quo *parte 3. de 3. precepto cap. 4. lect. 2.* ſic habetur, *mandatur fidelibus ab Eccleſiâ, ut miſſam audiant.* ET LICET ECCLESIA SANCTA AD ALIUD NOS NON OBLIGET, *nihilominus convenientius eſt, ut ille dies feſtus, aut potior illius pars, in oratione, lectione Spirituali, in audiendis concionibus & catechiſmis, ſimilibuſque ſpiritualibus exercitiis transmittatur.*

90. His addi poſſent, quæ traduntur à Barboſa *in coll. ſuper Trid. Con. & de poteſtate Epiſcopi, à Zerola, Emanuele Roderico, Cardinali de Lugo, Trullenc; Cenedo, Caſtro Palao*, plurimiſque aliis, qui obligationem à Dominis Paſtoribus aſſertam non agnoſcunt, aut non aliam quam expreſſit Heſſelius, iterum Lovanii anno 1663. poſt decretum S. D. N. Alexandri VII. ad Epiſcopum Andegavenſem, reimpreſſus, vel Molanus.

91. Et ne quid ex Heſſelio ſuppreſſum putet quiſpiam, operæ pretium eſt integra ejus verba ſubjungere. Sic autem habent.

92. *Quamquam autem Eccleſia non preceperit expreſsè, ut ſingulis feſtis audiatur concio ſacra; idque ideo (ut arbitor) quod ſoli Epiſcopi ſoleant verbum Dei prædicare, quos utique non omnes ſemper, ob varias neceſsitates, audire poterant (unde in Concilio Vaſenſi legitur: Hoc pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non ſolum in Civitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbiteris poteſtatem: ita ut ſi presbiter, aliquâ infirmitate prohibente, per ſeipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur)* ATTAMEN LEGE NATURÆ, ATQUE FIDEI TENENTUR CHRISTIANI EA DISCERE, QUÆ SALUTI SUÆ SUNT NECESSARIA.

93. Si concionis audiendæ obligationem, juris naturæ, fideique præcepto, quo Chriſtiani tenentur ea diſcere, quæ ſaluti neceſſaria ſunt, metitur Heſſelius; præciſam ergo obligationem ad CONCIONEM PAROCHIALEM DIE DOMINICO ET FESTO omninò excludit: quia doctrina neceſſaria aliunde poteſt obtineri.

94. Enumeratos n. 90. Doctores, ſeu eorum verba, alioſque, brevitatis cauſâ, omittit Appellans, huncque articulum concludet ſolùm notando, quod ex nonnullis, qui agnoverunt ſtrictè dictam aliquam obligationem ex Trid. Concilio audiendi concionem diebus Dominicis, ad huc cenſuerunt, prout cenſuit Appellans, obligationi ſatisfieri, illam audiendo in Eccleſiis Regularium, nec eſſe obligationem ſtrictè dictam eâ de cauſâ accedendi *parochiam.*

95. Ita enim Paſqualigus Romæ in Typographia Cameræ Apoſtoli-

ſtolicæ cum licentia Viceſgerentis, & Magiſtri Sacri Palatii anno 1656. impreſſus in *Obſervationibus ad lib. Laureti de Franchis de controverſiis inter Epiſcopos & Regulares p. 1. num.* 640. *Cum in hac diſpoſitione Concilii duo contineantur, nempe audire verbum Dei, & audire in Parochiâ: exiſtimo quod verbum* TENERI, *quatenus ſignificat obligationem, refertur tantum* AD AUDIRE, *non autem* AD AUDIRE IN PAROCHIA: *ita ut ſenſus ſit, quod Epiſcopi moneant populos, quod tenentur audire verbum Dei, & quod debent audire in Parochia, ſi commodè fieri poteſt: illa enim clauſula, ſi commodè fieri poteſt, diſtrahit obligationem, quia relinquit arbitrium an commodè impleri poteſt, an non: & ideo cum referatur ad audire in Parochiâ, non imponitur quo ad hoc obligatio, & ita etiam praxis interpretatur.*

96. Tum *num.* 64. in fine; *& proinde Concilium non imponit obligationem, ſed ait, monendos populos de obligatione, quia eſt ex naturali lege charitatis, quâ quiſque tenetur amare ſe ipſum.*

97. Et *num.* 642. ſic proſequitur. *Quando autem urgeat hac obligatio, non eſt ita facilè diſcernere. Neque enim dici poteſt, quod obliget pro omnibus diebus illis, in quibus ex praſcripto Concilii eſt concionandum, quia eſſet obligatio nimis gravis, & cum tanta frequentia, non eſt medium moraliter neceſſarium ad ſalutem. Rurſus neque aliquod tempus eſt determinatum ab Eccleſia pro implendo hoc pracepto, ſicut determinavit in aliis praceptis affirmativis. Unde ſolùm remanet, quod obliget ſecundum menſurã indigentia uniuſcujuſque, ut de praceptis affirmativis, qua non habent tempus determinatum ab Eccleſia, docet* Suares *de ſacram. Diſp.* 88. *ſect.* 1. *Et proinde obligatio erit menſuranda juxta prudens judicium ponderans indigentiam perſona, habitâ ratione circumſtantiarum; & ideo qui non poſſunt commodè formare tale judicium de propria indigentia, deberent ſuper hoc exquirere ſenſum prudentis Confeſſarii, & illi ſe conformare. Quia tamen hoc medium ſuppleri poteſt per alia media equipollentia, qualia ſunt, lectio librorum inſtruentium ad ſalutem, ſtudium ſacrarum litterarum, ſtudium Theologia, praſertim moralis, ideo poteſt ceſſare omnino indigentia conciones audiendi, atque adeo etiam obligatio; & ſi non totaliter, ſaltem tamen in parte, quia non conſurgit obligatio, niſi ſtante indigentiâ.*

98. Suprà relatis authoritatibus non modicum robur accedit ex Deciſione Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ, relatâ ab Aloyſio Riccio Canonico Neapolitano, & ejuſdẽ Curiæ Conſultore *p.* 1. *deciſ.* 152. his verbis: Parochiani cujuſdam Parochiæ habuerunt recurſum ad Curiam » Archiepiſcopalem, de quadam prohibitione & præcepto facto à quo- » dam Ordinario, qui ſtatuerat, ut omnes MISSAM & CONCIONEM,

 non

„ non alibi, quàm in Parochia propria audirent; fuit dubitatum, ſi de „ jure fieri potuiſſet. Dicebat unus ex Dominis affirmando per text. „ expreſſum in *c. ut Dominicis X. de Paroch.* ubi habetur Presbiteros „ Parochiarum Dominicis & feſtivis diebus Parochianos alienos ad „ Miſſam admittere non debere; ex quo patet poſſe cogi audire Miſſam „ in propria Parochia. Supradictis accedebat, quod in caſu abſentiæ „ licita eſt Miſſæ auditio in aliena Parochia *cap. Epiſcopi 7. q. 1.* ubi ex „ juſta cauſa abſens bene poteſt audire divina in Eccleſia ad quam ve- „ nit, *c. primatus. 9. q. 2.* Ergo regula videtur in contrarium. Sed fuit „ reſolutum contrarium vigore Declarationis S. Congregationis, de „ qua per Victorellum *ad Navarr. c.* 25. cujus tenor eſt, Parochianos „ cogi non poſſe ab Epiſcopis ad MISSAM CONCIONEMVE in Pa- „ rochia audiendam, neque ad addiſcenda ibidem Chriſtianæ pieta- „ tis rudimenta.

99. Unde apparet, non particularium dumtaxat Doctorum, ſed etiam Præſulum Majorum, Curiarum Eccleſiaſticarum, imo & ipſius S. Congregationis mentem eſſe, Concilium Tridentinum non inducere ſtrictam obligationem audiendi Concionem in Parochia.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Oſtenditur verbum TENERI *non poſſe in dicto verſu* MONEATQUE, *ſtrictè, & propriè accipi, maximè conjunctum (prout ibidem conjungitur) cum voce* UNUMQUEMQUE, *dum dicitur,* UNUMQUEMQUE TENERI.

100. ETiamſi Appellans non fuiſſet locutus reſpective ad privilegia Regularium, dum *nu.* 416. dixit: *Ex dictis patet, quod in Concilio Tridentino dicitur* &c. ſed abſolutè, & ſine relatione dixiſſet Trid. Con. *ſeſſ.* 24. *in verſu*, moneatque, *non loqui de obligatione ſtricti juris, ſeu non eſſe obligationem ſtrictè dictam audiendi Concionem in Parochia*, nihil dixiſſet magnopere alienum ab eo, quod tradiderunt impunè hactenus Authores ſupra citati, nec magis, quam illi, cenſuram merebatur.

101. Verùm quia fortaſſe adverſus illos urgebit nunc recentior quiſpiam Trid. Con. verba, & prætendet vocem, TENERI, in dicto verſu MONEATQUE, importare ſtrictè dictam obligationē, paulò amplius verba ponderemus, & ſequelas inde dependentes cum jure & S. Congregationis deciſionibus conferamus.

102. Primò, ſi verbum TENERI ſignificat obligationem ſeu debitum ſtrictè dictum, ergo à Parochianis invitis exigi poteſt, ut frequentent parochialem Concionem; quia, ut habet *l. 108. ff. de verb. ſignif. Debitor intelligitur is, à quo invito exigi poteſt.* Cui concordant plurimæ aliæ leges ibidem à Rebuffo citatæ.

103. Si exigi poteſt, ut frequentent dictam Concionem; ergo ad frequentandum mediis convenientibus, ſeu canonicis cogi poſſunt; *exactio* enim importat extorquendi, cogendique poteſtatem *l. 187. & ibi Rebuff. ff. de verb. ſignif.*

104. Et conſequenter tribuit Superiori juriſdictionem, & ei cohærens imperium *l. 5. ff. de officio ejus cui mandata eſt juriſd.*

105. Et tamen S. Congregatio Cardinalium decidit *Ordinarium non poſſe cogere populum mulctis aut pœnis ad audiendam Concionem in Eccleſia Parochiali*, Weymſius *loco citato.* Zerola *verbo*, prædicatio, *part. 1.*

106. *Secundò*, in eodem Concilio Tridentino *ſeſſ. 5. cap. 2. de refor.* decernitur, *ut Archipreſbyteri, Plebani, & quicunque curam animarum habentes, per ſe vel per idoneos*, SI LEGITIME IMPEDITI FUERINT, *diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas doceant.* Multi tamen illam docendi *per ſe* obligationem ita putant diſtrahi per conditionem adjectam, quæ dicitur, VEL ALIOS, SI LEGITIME IMPEDITI FUERINT, ut, dum minus parati ſunt, non peccent, ſi ſubſtituant Regularem, qui meliùs fructuoſiùſque concionetur.

107. Ergo dum in *ſeſſ. 24. cap. 4. citato*, dicitur, *unumquemque teneri intereſſe Parochiæ, ſi commodè fieri poſſit*, hæc conditio, *ſi commodè fieri poteſt*, etiam diſtrahere poterit, obligationem, ſic ut Parochianus ſatiſfaciat audiendo Concionem, quam putat ſibi utiliorem in Eccleſia Regulari.

108. *Tertiò*, in eodem capite dicitur, *moneat Epiſcopus populum diligenter*, UNUMQUEMQUE *teneri &c.* Populi nomen cives univerſos comprehendit, Plebeos, Senatores, Patritios, & cæteros quoſcumque. *§. plebiſcitum Inſt. de jure nat. gent. gloſſ. in cap. 15. X. de reſcript.*

109. Similiter vox UNUSQUISQUE quoslibet indiſtinctè contentorum ſub ſubſtantivo, ad quod refertur, comprehendit, ſi modo ſint præcepti capaces, vide innumeros citatos à Barboſa *Diction.* 320. 323. 324. 325.

110. Ergo dictio UNUMQUEMQUE in *dict. cap.* 4 comprehendet quemlibet de populo; Gubernatores Provinciarum, Duces Exercituum, Præ-

ſides, Conſiliarios, cæteroſque Magnates, Nobiles, Sacerdotes, Peritos, etiam Doctores: & conſequenter illi omnes criminis rei hactenus fuerunt, & erunt deinceps, ſi non accedant Eccleſiam ſuam Parochialem, ut audiant, etiam imperitam neſcio cujus, concionem.

111. Ipſimet Philoſophiæ Profeſſores, Regenteſque eodem involventur crimine, dum Philoſophos horâ ſeptimâ in Pædagogiis detinent diebus Dominicis & feſtis, quibus fit Concio Parochialis.

112. Nec videtur ſufficiens prætendi poſſe commoditatis defectus, quaſi non conveniat è Pædagogiis diſcedere; nam iiſdem diebus exeundi licentia conceditur poſt meridiem: quo tempore periculoſior eſt exitus, propter incaleſcentem ſæpe auram, potationemque.

113. Quod ſi autem excuſantur omnino à peccato, quia catheciſtica lectio iis utilior eſt, cur non excuſabuntur pariter plures de populo, ſi in conſcientia putent ſibi fore utiliorem in altera Eccleſia concionem?

114. *Quartò*, ſi putent Domini Paſtores vocem illam, UNUSQUISQUE, non eſſe ſic accipiendam, ut comprehendat quoslibet, quâ ratione contrahunt ſignificationem dictæ vocis, quæ ex ſe non admittit reſtrictionem, Barboſa *loc. cit*, & non admittunt quod vox, TENERI, ſignificet quandam honeſtatis obligationem, quandoquidem illa talem admittat ſignificationem?

115. *Quintò*, ſi autem admittant omnes ſupra recenſitos, cæteroſque omnes Paſtore ſuo peritiores, aut alias in rebus ad ſalutem neceſſariis ſufficienter inſtructos, non teneri ſtricto jure, ſed tantum de honeſtate ſuæ intereſſe concioni; ergo Trid. Concilium, dum indiſtinctè omnes comprehendit, non niſi honeſtatis obligationem loco præfato inducit: nec enim obligationis gravitatem diſtinguit, ſed attribuit ſingulis æqualiter, dum dicit, UNUMQUEMQUE TENERI.

116. Et ſi quæ ſit ſpecialis obligatio, quâ ſtrictiùs tenentur plebei, & rerum ad ſalutem congruentium imperiti, non provenit ex diſpoſitione Trid. Con. *dict. cap.* 4. quia non diſtinguit doctos ab indoctis, ſed provenire debet ex alio ſpeciali jure.

Sed videamus Regularium privilegia.

ARTI-

ARTICULUS OCTAVUS.

Oſtenditur per privilegia Mendicantium ſatiſfieri præcepto audiendæ Concionis; etiamſi illud de ſe foret aliàs rigoroſum; & conſequenter, dictis privilegiis ſuppoſitis, non eſſe aliam, quam honeſtatis obligationem, eâ de cauſa frequentandi Parochiam.

117. ANno 1227. Gregorius IX. Archiepiſcopis Epiſcopis &c. *Mandamus*, inquit, *quatenus dilectos Filios Fratres Ordinis Prædicatorum, pro reverentia divina, ad officium prædicandi (ad quod deputati ſunt) recipiatis benignè, ac populos vobis commiſſos, ut ex ore ipſorum verbi Dei ſemen devotè ſuſcipiant, & confiteantur eiſdem (cum ipſis authoritate noſtrâ liceat confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere) ſedulò admonentes, pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia, in ſuis eis neceſſitatibus liberaliter aſſiſtatis.*

118. Item Bonifacius VIII. tàm pro Prædicatoribus, quam Minoribus, ſtatuit & ordinavit, *ut dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis, & locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant Clero, & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, horâ illâ dumtaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, in qua prædicare ceſſabunt.*

119. Concilium Generale Viennenſe ſub Clemente V. innovans Decretalem Bonifacii VIII. quæ, incipit, *ſuper cathedram*, ſtatuit & ordinavit iterum, *ut prædictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis & locis eorum, & in plateis communibus liberè valeant Clero & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, horâ illâ, dumtaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari*, Clement. *Dudum.* De ſepult.

120. Eandem diſpoſitionem idem Bonifacius VIII. & Joannes XXII. extendunt ad Auguſtinianos & Carmelitas, ut conſtat ex Extravagante *Frequentes*, *De judiciis*, quâ dicitur.

121. *Intelleximus quoque quod plerunque præfatis dictorum Prædicatorum & Minorum, nec non Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, in cujus Ordinis dictorum Eremitarum perſonis idem Prædeceſſor Bonif. Conſtitutionem prædictam, in qua tantum de ipſis Prædicatorum & Minorum caveba-*

tur Ordinibus, per omnia voluit poſtmodùm integraliter, & inconcuſſè ſervari. Et ad quem prædictorum Carmelitarum Fratrum Ordinem nos ſubſequenter conſtitutionem eandem, quoad omnia in ea contenta duximus extendendam, à prædictis Epiſcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus, contra tenorem Conſtitutionis prædictæ graves injuriæ, atque moleſtiæ in diverſis partibus inferuntur.

122. Et iterum anno 1328. dictus Joan. XXII. Archiepiſcopo, Canonicis, & Rectoribus Eccleſiarum Burdegalen. (conquerendo quod eos jam per annum non admiſerint ad concionandum) diſtrictè præcipit ut *in Prædicatoribus, & Minoribus recipiendis ad concionandum juxta prædictam conſtitutionem, non exhibeant ſe difficiles, graves, duros, aut aſperos; ſed potiùs favorabiles, propitios, & benignos, piâque munificentiâ liberales: quod ſi ſecus ab ipſis agi contigerit, ſe contra eos, tanquam tranſgreſſores Conſtitutionis ejuſdem, ac juſſionum ſuarum temerarios contemptores, debitè proceſſurum, prout contemptus & temeritatis hujuſmodi qualitas poſtularet.*

123. Prædictam extenſionem dictæ Conſtitutionis *ſuper cathedram*, & *dudum* factam eſſe ad Auguſtianos & Fratres B. M. de monte Carmelo teſtatur etiã Alexander V. in Bulla, *Regnans in cœlis*, eaſque Joannes XXIII. inviolabiliter obſervari diſtrictè mandavit in Bulla incipiente etiam, *Frequentes* datâ anno 1414.

121. Conferamus nunc verba dictarum Conſtitut. *ſuper cathedram*, & *dudum* cum jure.

124. Exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis *l. 1. ff. de officio ejus &c. l. 22. ff. ſolut. mat.* Aliis ergo quàm Prælato, vel, eo præſente, prædicantibus, licet dictis Fratribus prædicare: conſequenter Paſtore, Vice-Paſtore, vel alio non Prælato in Eccleſia Parochiali prædicante, etiam die Dominico, aut feſto (hic enim dies non excipitur) licebit.

125. Id ipſum clarè confirmatur ex controverſiis, quas, ratione Concionis, teſtatur dicta Clementina eſſe ortas inter ſæculares Paſtores, & Mendicantes. Nec enim apparens conquerendi ratio potuit naſci ex Concionibus, quas hi haberent diebus feriatis & aliis, quibus in Parochiali Eccleſia non prædicabatur, nec antiqui Interpretes dictam Clementinam ad dies ſimiles reſtringunt.

126. Nec eſt quod prætendat quiſpiam Prælati nomine contineri Rectores Eccleſiarum Parochialium: nam expreſſè illos à Prælatis diſtinxit dict. Clementina, ſic enim præmittitur, *olim ſiquidem inter Prælatos, & Rectores ſeu Sacerdotes & Clericos parochialium Eccleſiarum.* Deinde prædictis Rectoribus non convenit, quod in exceptione allegata addi-

tur,

tur, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel facere CORAM SE SOLEMNITER PRÆDICARE.

127. Hæc enim ſolemnitas eſt quædam honoris prærogativa, & nota ſpecialis Epiſcoporum, aut habentium quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem, quos Prælatorum nomine intelligi, teſtatur gloſſa & alii.

128. Quod ſi eâ horâ, quâ Eccleſiarum Parochialium Rectores prædicant, licet liberè prædictis Fratribus prædicare; liberum eſſe debet populo, vel Eccleſiam Parochialem, vel prædictorum Fratrum locâ, prout quiſque elegerit, adire Concionis audiendæ cauſâ.

129. Etenim conceſſo aliquo etiam privilegio, ſemper cenſentur à Pontifice conceſſa illa, ſine quibus privilegium alias redderetur inutile, *cap. 30. X. de privilegiis. cap. licet*, ubi gloſſa, *de privil. in 6.* Quibus concordant Iuris Cvilis leges, quas ſuper ſimili materia adducit Stephanus Coſta, *ad cap. cum quid prohibetur de Reg. jur. in 6.* videlicet *l. veteres ff. de itin actuque. l. loci §. ſi quis. ff. ſi ſervitus l. 3. in fine. ff. de penu legata. l. 3. §. qui habet. ff. de ſervitut. Ruſtic. l. ſi defunctus. §. finali. ff. de procurat. l. 1. Cod. de ordine judiciorum &c.*

130. Et quod notabile eſt, Honorius III. *in dicto cap. 30. privileg.* agit nominatim de privilegio conceſſo Mendicantibus, quod aliqui per ſiniſtram interpretationem reddere volebant inutile. Et dicit: *in his non maligna, ſed benigna potius eſſet interpretatio facienda, quam nimis ſtrictè interpretanda indulgentia.*

131. Porro quis non videt inutilem fore liberè prædicandi, etiam in plateis &c. conceſſam Fratribus Mendicantibus licentiam pro tempore, quo Rectores Eccleſiarum concionantur; ſeu illo dumtaxat excepto quo *Prælati prædicant*, ſi, vel prædictis Fratribus non liceat prædicare prædicante Paſtore; vel, qui elegerint audire Concionem prædictorum Fratrum cogantur adhuc audire Concionem in Eccleſia Parochiali.

132. Vix enim quiſpiam duas conciones audit diebus Dominicis & feſtis, diligenterque monendus eſt populus, ut ſaltem uni interſit.

133. Quatuor ſupradictis Mendicantium Religioſorum Ordinibus cum poſtmodum ſuperveniſſent Societatis Jeſu Religioſi, Paulus III. anno 1549. præfatam diſpoſitionem extendit ad eoſdem, & dixit, *omnes ac ſinguli alii Chriſti fideles, cujuſcumque conditionis exiſtant, qui verbi Dei Concionibus, ſeu Sociorum hujuſmodi in Eccleſiis, ubi ipſi concionabuntur, interfuerint, diebus hujuſmodi miſſas, & alia divina officia audire &, Eccleſiaſtica Sacramenta ibidem recipere liberè & licitè valeant, nec ad id ad proprias Parochiales Eccleſias accedere teneantur.*

Oſtenditur non eſſe per Trident. Concil. derogatum ſupradictis privilegiis Mendicantium.

134. UT id appareat evidentius repetit Appellans verba Trid. Conc. in dicto cap. 4. quod ipſi per Decretum Rectorale objicitur.

135. *Moneat*, inquit textus, *Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſæcularis, ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. Idem etiam ſaltem Dominicis, & alius feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam ergà Deum, & Parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent: nonobſtantibus privilegiis & conſuetudininibus. In reliquis, ea quæ de prædicationis munere ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.* Per hæc verba non eſſe derogatum dictis privilegiis, ſic oſtenditur.

136. *Primò*, poſt diſpoſitivum iſtius verſus, MONEATQUE, nulla apponitur clauſula derogatoria privilegiorum; quam tamen paſſim Concilium inſerit, quando intendit illis derogare, ut patet ex *ſeſſ. 6. de reform. cap. 3. 4. 5. ex ſeſſ. 7. cap. 5. 7. 8. 10. 14. ex ſeſſ. 14. cap. 4. & 13. ex ſeſſ. 21. cap. 6. 7. 8. ex ſeſſ. 22. cap. 8. &c.*

137. Nec etiam declaravit Pontifex, aut Sacra Congregatio ſufficienter expreſſit ullibi eam fuiſſe Concilii mentem, ut vellet eſſe dictis privilegiis derogatum: nec in dicto verſu MONEATQUE declaratur evidenter quod inducatur jus novum.

138. Nonobſtat quod in fine ejuſdem capitis dicatur, *nonobſtantibus privilegiis &c.* Reſpondet enim Appellans *primò*, clauſulam illam derogatoriam eſſe ſpecialem reſpectu eorum, quæ immediatè ante ſunt dicta de *fidei rudimentis & principiis morum.*

139. Etenim in correctiſſimis exemplaribus impreſſis Pariſiis, Lugduni, Duaci &c. clauſula illa *, non obſtantibus*, tantum ſeparatur colo, vel duobus punctis à proximè præcedentibus; quo ſeparandi modo ſignificatur, quod ſit compars proximè præcedentis orationis, & ſic particulariter deroget, non generaliter. Barboſa *de clauſulis in proœmio n. 5.*

140. *Se-*

140. *Secundò*, ſuppoſito (non conceſſo) quod clauſula illa derogatoria, *non obſtantibus*, poſita in dict. cap. 4. concerneret omnia præcedentia, tamen populi libertati audiendi Concionem, aliaque divina officia in Eccleſiis Regularium, & ſic præcepto ſatisfaciendi; ſeu prædictis privilegiis non derogaret.

141. Conſtat enim ex ſupradictis, privilegia illa, ETIAM CONCIONANDI, eſſe clauſa in Corpore Juris, ſeu in diverſis ejus capitibus ſupracitatis, & ſignanter in *Clementina* DUDUM, quam inter partes Corporis Juris eſſe, & cenſeri, etiam tunc cum vox illa, *clauſum in Corpore Iuris*, ſumitur ſtrictiſſimè, ut in materia reſervationum, teſtatur expreſsè Zypæus, *in Reſponſis Canon. ſuper Reg. de Trien. n.* 17. his verbis.

142. *Corpus Iuris in regula intelligitur, ut comprehendat Decretum, Decretales, Sextum, & Clementinas.* Aliàs comprehendit etiam Extravagantes.

143. Porro privilegia in Corpore Juris clauſa, generali illâ derogatione, *non obſtantibus privilegiis*, non tolluntur. Ita tradunt Doctores omnes, quos longo ordine refert Barboſa *clau.* 83. *n.* 5. Ex quorum doctrina communi tradit hanc regulam, *per clauſulam* non obſtantibus privilegiis &c. *cenſetur derogatum privilegiis, quæ in Iuris corpore clauſa non ſunt; non verò aliis, quæ in eo clauſa reperiuntur, niſi additum ſit* ETIAM CLAUSIS, *ut notavit*, inquit, gloſſ. *in l.* 1. *Cod. de Silentiar. quam recipiunt Doctores omnes.*

144. *Tertiò*, privilegia Regularium, ſignanter quo ad effectum concionandi, confeſſiones audiendi &c. ſeu illa tria, de quibus egit Appellans in libello ſuo *à nu.* 485. *uſque ad n.* 430. expreſsè confirmata ſunt duobus reſpectivè Conciliis Generalibus, Viennenſi in Clementina *dudum*, & Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. XI. in qua, poſtquam certi articuli inter ſæculares, & Regulares fuiſſent expreſſi, dictum eſt.

145. *Omnia ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos ſervari debere volumus, & decernimus, ſalvis tamen in reliquis deſuper non expreſſis, tàm Epiſcoporum, quàm Fratrum & aliorum Religioſorum prædictorum juribus.*

146. Conſtitutioni vero Conciliari non derogatur per generales clauſulas, *non obſtantiarum*, ſed opus eſt expreſsâ mentione Concilii: tradunt plurimi Doctores, quos magno numero citat Barboſa *in collect. ad Con. Trid.* Et ita ſæpius decidit Rota, ut refert *ibidem.* Ubi etiam affert rationem diverſitatis, cur facilius Tridentino Concilio, quam aliis generalibus derogetur, petitam ex *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 21.

 147. *Quar-*

147. *Quartò*, per clauſulas generales derogatorias non tolluntur privilegia conceſſa publicæ utilitatis causâ, uti poſt Felin, Roman, Rub. Monet. tradit idem Barboſa *d. clau.* 83. *n.* 20.

148. Quis vero non videt publicam utilitatem poſtulare, ut ſua populo libertas remaneat adeundi Parochiam, vel Regularium Eccleſias, in ordine ad confitendum, audiendam Miſſam, Concionem ſacram, prout ſaluti ſuæ conſultiùs putaverit, vel pietatis fervor magis impulerit, aut alia honeſta cauſa ſuaſerit?

149. *Quintò*, legibus cautum eſt, *quod in rebus novis conſtituendis evidens utilitas eſſe debeat, ut recedatur ab eo, quod diu æquum viſum eſt* l. 2. ff. de conſtit. Princip.

150. Cum ergo ex ipſo Lateranenſi Concilio generali (quod proximè Tridentinum præceſſit) conſtet, *Religioſos in agro Dominico, pro Chriſtianæ Religionis defenſione, & ampliatione complura feciſſe, ac uberes fructus protuliſſe, & in dies ſingulos proferre, ita ut ipſi ſæpe numero vigilantiſſimâ & ſolerti curâ, ſchiſmata in Dei Eccleſiâ extinguere, & Eccleſiæ unitatem reddere, & ut eidem Eccleſiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores ſubire non dubitarint*.

151. Et ex Extravag. Sixti IV. *vices illius* quod *hominum creſcente malitia, niſi ager Dominicus Cultoribus idoneis, Buccinatoribus Spiritus ſancti, & Præconibus verbi Dei (qui præter cæteros in Ordinibus Fratrum Mendicantium gratiâ aſſiſtente divinâ, in copioſo numero reperiuntur) aſſiduè coleretur, vepribus malorum, & ſentibus vitiorum omnium celeriter obrueretur*.

152. Conſtet etiam omnium conſenſu, per Pontificium Oraculum confirmato, *Deum* *ſicut alios aliis temporibus Sanctos viros ita ejuſdem temporis hæreticis inſtitutam à Sancto Ignatio Societatem objeciſſe*. Breviarium Rom.

153. Nullatenus credendum eſt, Tridentini Conc. Patres, quibus hæc erant notiſſima, voluiſſe ea tollere, quibus tàm ipſi Mendicantes, quàm aliorum Ordinum Religioſi produxerunt tàm uberes fructus, quos Eccleſia conſecuta eſt, per eorum doctiſſimas prædicationes, ſacrificiorum divinorum, cum magnâ reverentia & ædificatione, frequentiam, ſalutares in excipiendis confeſſionibus monitiones, inſtructionemque eorum, qui illos accedunt.

154. Tollerentur autem magnâ ex parte, ſi neceſſitas imponatur cuilibet adeundæ Eccleſiæ Parochialis in ordine ad ſupradicta, & per acceſſum Regularium præcepto non ſatisfieret.

155. Vix

155. Vix enim ulli, (ubi in Eccleſiâ Parochiali Miſſam, vel imperitam, minus gratam, aut factam præcipitanter, Paſtoris, plerumque totâ hebdomadâ aliis negotiis diſtracti, Concionem audierit) libebit ulteriùs ad aliquam Eccleſiam Regularem, ſæpe diſtantem, tempore, ſive nimiùm æſtivo, ſive frigido, aut pluvioſo excurrere, aut etiam non vacabit.

156. *Sextò*, iterum in Conſtitutionibus interpretandis cavendum eſt, ne ſequatur aliquid abſurdum, inconveniens, aut inutile *l.* 19. *ff. de legib.* Everardus in *loc. legal. loc.* 23. Zepperus *cap.* 24. Quæ porro utilitas, ſi conſtringatur quiſque de populo (textus enim Trid. *unumquemque* dicit) ut interſit Miſſæ & Concioni Parochiali, ubi utiliùs, commodiùs, & ſalutariùs poſſunt intereſſe in Regulari?

157. Quanti hic ſcrupuli, aut potiùs ſcopuli timoratarum conſcientiarum, quibus ſemper illud obvolvetur animo, quomodo commoditas illa ſit intelligenda, ut à peccato excuſetur ille, qui Parochialem Concionem intermiſerit, aut ad Regularem ſe contulerit?

158. Alii liberioris conſcientiæ paſſim abſtinebunt: alii de gravitate Eccleſiaſtici jugi conquerentur. Si enim textus capiatur ad litteram in aliis verbis, ſicuti DD. Paſtores accipi volunt verbum TENERI, (cur autem minus ſic accipietur uno loco quam aliis?) omnes omnino, nullo excepto, intereſſe Concioni debebunt, quoties, ſeu ubi commode fieri poterit.

159. Alii velut impertinentem contemnent legem, ipſos à pii, & docti alicujus Religioſi, qui tota hebdomada à ſæcularibus abſtractus vacaſſet, Concione avocantem ad Concionem, ſi non imperitam, & præcipitatam, ſaltem audienti minus utilem.

160. *Septimò*, frequenter Parochi non concionantur per ſe, ſed per Regulares, ſive in Dominicis, ſive in feſtis ex præcepto obſervandis. Et verò quid tunc refert an in Parochiali, an in Regulari Eccleſia Concio audiatur?

161. An fortè quia in Eccleſiâ Parochiali annuntiantur feſta, jejunia, & ſimilia diverſis temporum circumſtantiis occurrentia? At hæc, & ſimilia annunciant, & annunciare poſſunt Regulares. Ita expreſſè declaravit S. Congregatio Interpretum Conc. Trid. 2. Julii. 1630. in reſponſione ad primam ex quatuordecim quæſtionibus, propoſitis à Paſtoribus Civitatis Bononienſis contra Regulares, his verbis. *Ad* 1. *Regulares non probiberi dies feſtos, & jejunia in ſuis Eccleſiis annunciare.* Ut referunt Peyrinis

sinis

ſpis *ad Conſtit.* 7. *Pij V.* §. 10. Barboſa Epiſcopus Ugentinus *in collect. Deciſion. Apoſtolicar. Verb.* Feſti dies *nu.* 3. Novarius Juriſ-Conſultus Lucanus *in Lucerna Regularium eod. verb, n.* 6. Lezana *to.* 1. *p.* 1. *c.* 12. *nu* 41. &c. alii. Et ut hæc ſciantur, nec neceſſe eſt, ut quis toti concioni interſit, ſed ſufficit ut interſit iſti particulæ, quâ illa dicuntur, hoc eſt ſub finem. Nec neceſſe eſt ut interſit *unuſquiſque*; quia à parvâ populi parte diſſeminatur in vulgus.

162. Non negat, nec negavit Appellans, quod in Pagis, aut iis locis, quibus unica per Paſtorem habetur Concio die Dominico, & nequidem quovis die tali, ſed rarius, intereſſe etiam ſub peccato plebs debeat, ſaltem quatenus inſtructio ipſis neceſſaria eſt.

163. Sed negavit eam obligationem importari per Trid. Con. quod dirigitur indiſtincte ad UNUMQUEMQUE: & conſequenter *indiſtincte ad omnes, etiam eos qui habitant in civitatibus, ubi ſunt Regularium Eccleſiæ.*

164. Denique ſupradicta Regularium, etiam Ieſuitarum, privilegia concionandi, non obſcurè ſunt confirmata per Trid. Conc. *ſeſſ.* 5. *c.* 2. & *dict. ſeſſ.* 24. *c.* 4. ubi eorum facultas tantum limitatur in eo, quod in Eccleſiis non ſuorum Ordinum, prius obtinenda ſit ab Epiſcopo licentia, juxta Declarationem Urbani VIII. datam 30. Ianuarii 1629. in Brevi ad Cardinalem de Sandoval Epiſcopum Giesnenſem.

165. Nec obſtat quod Bulla, *Etſi Mendicantium* allegata in ejus libro *nu.* 414. revocata ſit à Gregorio XIII. per Bullam, *In tanta*: nam præfata Bulla *Etſi Mendicantium* continet tàm declarationes Concilii Tridentini, quàm derogationes, ut patet ex titulo eidem Bullæ præfixo, & inſerto in Bullario Cherubini.

166. Derogationes ſublatæ quidem ſunt per dictam Conſtitutionem *In tanta*, ſed nihil immutatum eſt quoad ea quæ præfato Concilio inerant; & conſequenter nihil immutatum eſt quo ad Declarationes, & antecedentia privilegia, quibus non eſt expreſsè per Tridentinum derogatum.

167. Idque oſtenditur multipliciter: Nam *primò* ipſe Gregorius XIII. in ſua Bulla, §. 6. diſertè ait: *eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubjecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex jure veteri, ſive ex ſacris dicti Concilii Decretis, ſive aliàs legitime futura fuiſſet.*

168. Quibus verbis, tàm jus commune (quod maximè eſt Clementina *Dudum*) quàm alia privilegia, quibus per Tridentinum non eſt derogatum, confirmantur.

169. Hanc interpretationem expreſsè tradit Lezana *tomo. 2. ſum. qq. Regularium* impreſſo Romę 1636, cum licentia Vices-gerentis, & Magiſtri Sacri Palatii, in qua *cap.* 1, *nu.* 16. ſic ſcribit.

170. *Dicendum eſt Gregorium XIII. in dicta Conſtitutione* In Tanta; *ſolùm revocaſſe Conſtitutionem Pii V. quatenus per ipſam conceditur aliquid contrarium Decretis Concilii Tridentini, non tamen quatenus conceditur aliquid non contrarium ipſis: ita enim dicitur à Sacrà Congregatione declaratum.* Citatque Rodriguez, Sorbum, Molfeſium, Mirandam, Peyrinis.

171. Rationem allegat Marchantius in *Fundamentis Ord. S. Franciſci part. 2. tit. 11. §. 4. q. 2. dub.* his verbis, quod cum *Pontif. Pius V.* (*ut ipſe teſtatur*) *potiſſimùm ſit Declarator terminorum Concilii, tanquam Eccleſia Caput ex officio; Et terminorum Concilii declaratio Authoritate S. Sedis facta, pro genuino intellectu Concilii ſit habenda; Gregor. XIII. in præfata Bulla, omnia ad terminos juris communis & Concilii Trid. reducens, nec voluit, nec potuit derogare Bullæ* Et ſi Mendicantium, *in iis quæ Decretorum Concilii merè declarativa ſunt, quale eſt Decretum ſupracitatum ſeſſ. 24. c. 4. quod non comprehendiſſe Mendicantes aſſerit.*

172. *Secundò*, idem patet ex Bulla Pauli V. incipiente, *Diſpoſitum* 32. & ex Bulla Urbani VIII. incipiente *Aliàs fel. record.* 23. Item ex Declaratione S. Congregationis relatâ à Peyrinis ad §. 24. dictæ Bullæ, in quibus expreſsè remiſſio fit ad Declarationes factas à Pio V. in præfata Bulla, *Etſi Mendicantium.*

173. Quod autem locus hujus Bullæ ab Appellante *nu.* 414. citatus declarationem contineat, plenius colligi poteſt ex ſubjecto ejus tenore.

174. Et inſuper *ſeſſ.* 22. Decretum, per quod populum ſæpe ad
„ ſuas Eccleſias, ſaltem Dominicis, & majoribus feſtivis diebus con-
„ venire debere monet, INSEQUENDO, volumus quod Fratribus Men-
„ dicantibus hujuſmodi, non ſolùm prohiberi non poſſit, ne Miſſas, &
„ alia Divina Officia faciant in eorum Eccleſiis, verùm etiam in quibuſ-
„ cumque aliis, ubi celebrari Miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis,
„ ſeu ad id requiſitis, celebrare valeant; Ac etiam quod Conciones, &
„ lectiones ſacræ ſcripturæ, & ſermones pro mortuis, etiam in Eccleſiis
„ facere, ac eleëmoſynas pro celebrandis hujuſmodi Miſſis, & aliis Di-
„ vinis Officiis peragendis, ſi eis illas donari, ſeu relinqui contingat,
„ accipere, nec non Miſſas & Divina Officia hujuſmodi, etiam in diebus
„ Dominicis vel feſtivis, etiam antequam Rector Parochialis Eccle-

„ ſiæ celebraverit, celebrare, & facere, & quando eis videtur, etiamſi
„ tunc in Eccleſia Cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam qui-
„ cumque utriuſque Sexus Chriſti fideles totius anni tempore, illas, &
„ illa in Eccleſiis Fratrum hujuſmodi audire poſſint. Ipſique Chriſti fi-
„ deles ullatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordina-
„ rios, ſeu Rectores Parochialium Eccleſiarum, aut alios quoſcum-
„ que ullo pacto, causâ, vel occaſione non valeant, ſeu debeant; ſed
„ præfati Chriſti fideles audiendo Miſſas & alia Divina Officia in Eccle-
„ ſiis Fratrum hujuſmodi diebus Dominicis, aut feſtivis, præcepto Ec-
„ cleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur.

ARTICULUS DECIMUS.

Oſtenditur Breve S. D. N. Alexandri VII. ad Epiſcopum Andegavenſem directum non officere Doctrinæ Appellantis.

175. IN prædicto Brevi S. D. N. Alexandri VII. Ita habet propoſitio 4. *Nullus in foro Conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Cathechesibus annunciantur & docentur.*

176. Super hac propoſitione 4. cenſuram hanc tulit ſua Sanctitas: *Quoad primam, & ſecundam partem, ſimpliciter accepta, eſt erronea & temeraria: ſuppoſitis vero privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, ſervetur diſpoſitio ſacri Con. Trid.*

177. Propoſitio 5. ejuſdem Brevis ita habet: *Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec Concilia Provinciarum, vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.*

178. Cenſura autem ita ſonat; *Suppoſitis itidem privilegiis Apoſtolicis nullam meretur cenſuram. Verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.*

179. Hoc præmiſſo, dicit Appellans *primo*, doctrinam ſuam adeo diſtare ab illa, quam improbat S. D. N. ut etiam mirum ſit D. Rectorem non advertiſſe.

180. Etenim propoſitio 4. contenta in dicto Brevi eſt univerſalis negativa, & dicit, *neminem teneri Parochiæ ſuæ intereſſe &c.* Propoſitio, de quâ locutus eſt Appellans, eſt univerſalis affirmativa, nempe hæc, quæ in Tridentino Concilio involuitur: *tenetur unusquiſque Parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei, ſi &c.*

181. *Secundò*, propoſitio 4. contenta in dicto Brevi, non tantum eſt univerſalis ex parte ſubjecti, ſeu perſonarum; quâ dicitur *nemo &c.* ſed etiam eſt univerſalis ex parte *verbi Dei*, ſeu comprehendit omnes ejus ſpecies; dum in eâ dicitur; *nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ in cathecheſibus annunciantur.*

182. At propoſitio, de qua agit Appellans, eſt ſpecialiſſima, in qua ſolum agitur, & egit *de illo ſolo verbo Dei*, quod *Prædicatio* ſeu *Concio* appellatur, quodque Doctores intelligunt ſignificari in verſu illo Triden. MONEATQUE EPISCOPUS.

183. *Tertiò*, propoſitio 4. prædicta ſimpliciter ab aſſerentibus fuerat prolata; nec enim in ea innuitur aliquis reſpectus ad privilegia, quem tamen expreſſerat Appellans, dum dixerat: *ex dictis patet &*: nec tantum reſpectum illum innuerat, ſed privilegia ipſa retulerat expreſsè, & facultatem concionandi conceſſam Regularibus ſuppoſuerat *nu.* 413. 414. 415.

184. *Quartò*, in dicta propoſitione 4. non declaratur, quod, ceſſantibus privilegiis, obligetur abſolutè quis ad Parochiam frequentandam, quam tamen obligationem disertè expreſſit Appellans *nu.* 413. 414.

185. Ex quibus quatuor diſtinctionibus evidentiſſimum eſt, quod declaratio ſuæ Sanctitatis non afficiat doctrinam Appellantis. Quod facilè patebit, ſi Dialecticæ regulæ cum dictis diſtinctionibus conferantur.

186. *Primo*, enim in Dialectica certum eſt, quod ex falſitate univerſalis negativæ non ſequatur veritas univerſalis affirmativæ; v. g. ex falſitate hujus, *nullum animal eſt homo*, non infertur veritas illius, *omne animal eſt homo*: ergo ex falſitate & damnatione hujus, *nullus homo tenetur in foro conſcientiæ intereſſe Parochiæ*, non infertur veritas iſtius, *tenetur in foro conſcientiæ unusquiſque Parochiæ intereſſe.*

187. Quia convenit rigorosè obligari ignaros, non autem ſimiliter obligari inſigniter doctos. Item convenit obligari Parochiæ eos, qui Regularis Eccleſiæ copiâ carent, non obligari ſtrictè Parochiæ eos, quibus magis congruet concionis, aut miſſæ auditio in Eccleſiâ Regulari.

188. *Secundò*, ſimiliter non ſequitur, quod ſi damnetur complexum, ſeu enuntiatio copulativa ex pluribus partibus, damnatæ ſint partes ſingulæ. Quia, uti ex Dialecticâ iterum conſtat, *ad copulativæ falſitatem ſufficit falſitas alterius partis* v. g. hæc falſa eſt, *Joannes eſt homo & brutum*, licet non ſit falſum *Joannem eſſe hominem*.

189. Ita ergo falſa poteſt eſſe illa, *Nemo in conſcientiâ tenetur audire verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ in catechesibus annuntiantur*, etiamſi non ſit æqualis, & in foro conſcientiæ obligatio *quoad Concionem*: poſitâ enim unâ parte falsâ, complexa aſſertio ſimpliciter eſt falſa, quia malum ex ſingulis defectibus.

190. *Tertiò*, quia Sanctitas ſua in cenſura propoſitionis 4. facit mentionem Concilii Tridentini, hanc cum ipſo Concilio conferamus.

191. In illo ſunt præcipuè loca quatuor, quibus de divini verbi generatim accepti annuntiatione in Parochiâ, & per Parochos faciendâ agitur, & diverſa penitus de illa tractantur. Nempe *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de reform. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. & 7. *de reformatione*. Præter quæ extat *ſeſſ.* 23. *caput* 18. Ubi de inſtitutione puerorum.

192. Plurima in his textibus ſtatuta obligant in foro conſcientiæ. Nec enim dubitandum, quin ad Sacramenta percipienda ſæpe fideles obligentur, quodque ea percipere volentes, teneantur in conſcientiâ ſcire ea, quæ præſcribuntur in dicto *cap.* 7. necnon rudimenta fidei, de quibus in *dict. cap.* 4. & ad ea diſcenda poſſe etiam cenſuris cogi per Præſulem ſubditos, ſaltem ex recepto uſu, tradunt plurimi apud Barboſam *in collectan. ſuper dicto capite* 4. *nu.* 26. & maximè poſt declarationem S. D. N. ſuper propoſitione 5.

193. In tertia parte dictæ propoſitionis 4. de ſingulis divini verbi ſpeciebus in Conc. Tridentino comprehenſis agitur, negaturque omnis conſcientiæ obligatio accedendi Parochiam in ordine ad illa perdiſcenda.

194. At Appellans non fuit locutus, ut dictum eſt, de omnibus divini verbi ſpeciebus: non egit de omnibus jam citatis Tridentini Con. textibus: nec de ſingulorum textuum partibus: non negavit in omnibus illis importari aliam, quàm honeſtatis obligationem, ſed ſolùm egit de *Concione*, de unico verſu dict. cap. 4. & ſolùm de dicti verſus (quatenus de verbo divino locutus eſt) ſenſu: in quo aſſignando, non propriam, ſed communem Doctorum opinionem ſecutus eſt, & praxim.

195. In declaratione verò ſuæ Sanctitatis ſuper dictâ parte 3. dicentis,

tis, *de auditione verbi Dei ſervetur diſpoſitio Tridentini Conc.* non poteſt per VERBUM DEI intelligi ſola *Concio*, de qua in citato ſæpe verſu MONEATQUE; quia non de illâ ſolâ fuit interogatus Pontifex, ſed de cæteris omnibus ſub VERBO DEI generatim accepto comprehenſis. Ut plenè conſtat ex epiſtola, quam præfato Epiſcopo Andegavenſi ſcripſit, dicens *ſperare ſe per declarationes ſuas concordiam iſtic, & quietem priſtinam* COMMUNI *cum omnium* SATISFACTIONE *redditam iri*.

196. Nullatenus autem reddita fuiſſet *ſatisfactio communis*, ſi verbum Dei de ſolâ Concione fuiſſet intellectum in præfatâ declaratione; quia nulla fuiſſet *ſatisfactio* data ſuper cæteris ſpeciebus divini verbi in dicta propoſitione 4. comprehenſis.

197. Quod ergo dicitur in eadem declaratione, *ſervetur Tridentini Concilii diſpoſitio*, non pertinet ad ſolum prædictum verſum MONEATQUE; ſed ad omnia Tridentini Concilii capita, in quibus reſpectivè agitur de ſingulis illis divini verbi ſpeciebus, & annuntiationibus.

198. Cum itaque dicta declaratio generaliſſima ſit, & reſpectiva ad ſingulas Trident. Conc. partes, & tantum contineat admonitionem de Trid. Concilio obſervando, clarum eſt quod nullam contineat diſpoſitionem novam, aut inducat ſpecialem ac diſtinctam ab illâ, quam induxit Tridentinum. Generalia enim poſteriorum legum verba ita ſemper accipienda ſunt, ut vitetur correctio, *Tuldenus de Iuriſprud. lib. 1. cap.* 30. Nec unquam niſi expreſſa admittitur *l. 32. Cod. de Appellat. in fine*, nec præſumitur quod maturè conſiderata, aut ſæpius renovata jura, (ut ſunt Regularium dicta privilegia) velit Legiſlator uno verbo tollere, *Zepperus in Cynoſura cap.* 37. Et lex nova generaliter loquens, intelligenda eſt juxta ſpecies, terminos, & diſtinctiones legis antiquæ, Zepperus, & Tuldenus *locis citatis*.

199. Non debuit ergo ſpecialiter objici Appellanti dicta declaratio 4. ſed oportebat in ſpecie oſtendere quod interpretatio dicti verſus MONEATQUE, à tot tradita Doctoribus, praxique confirmata, Tridentino repugnaret.

200. Et inſuper quod audientes Concionem, vel Miſſam in Eccleſiis Regularium non amplius ſatisfacerent præcepto, ſed illos teneret adhuc ſtricta & conſcientiæ obligatio Parochiam accedendi Miſſæ & Concionis causâ.

201. Neque majori jure opponitur Appellanti declaratio ſuper propoſitione 5. quâ dicitur, *quod 4. propoſitio non ſit prædicanda vel publicè docenda.*

202. Etenim, ut jam oſtendit Appellans, nullibi in toto ſuo libello docuit quartam, ac nequidem ullam ex tribus ejus partibus. Non tertiam partem, ut jam proximè viſum eſt, non 1. aut 2. quia expreſsè ponit *Eccleſiaſticum præceptum obligans in conſcientia ad confeſſionem faciendam proprio ſacerdoti, Sacrumque audiendum in propria Parochiâ*, ut patet ex ejus libello à *nu.* 383. uſque *ad* 430.

203. Sed illi obligationi dixit ſatisfieri accedendo Eccleſias Regulares. Si ſatis fit: non eſt ergo obligatio abſoluta accedendi Parochiam, niſi honeſtatis.

204. Hoc cum dixit, non aliud dixit quam quod habetur in Extravagante, *vices illius*, aliiſque citatis juribus.

204. Denique prædicta Declaratio Sanctitatis ſuæ ſuper propoſitione quinta non obſcurè innuit, quod, ſuppoſitis Regularium Privilegiis tradendi etiam fidei rudimenta, non ſit in foro conſcientiæ obligatio frequentandi Parochiam eorum causâ: quia propoſitionem quartam vetat publicè prædicari & doceri: permittit ergo doceri privatim, *arg. legis* 22. *ff. de leg. & l.* 1. *ff. de officio ejus cui mandata eſt juriſdictio*. Apparet ergo quod etiam tertia pars propoſitionis quartæ ſit tunc vera.

205. Hinc licet, ſuppoſitis dictis privilegiis, eam Appellans in libro ſuo inſeruiſſet (quod non) nullatenus impegiſſet in doctrinam catholicam, ſed ſolùm quæſtio maneret, an impegiſſet in eam partem, quâ prohibetur, ne publicè doceatur, ſeu an ſua Sanctitas, dum prohibuit publicè eam doceri, etiam voluerit, quod ne quidem in aliquo libello ad inſtructionem Diſcipulorum, qui ad Paſtoralia munera deſtinantur, imprimi poſſet.

206. Hanc prohibitionem ad ejuſmodi caſum Apellans credidit non extendi: aliàs, nec Sanctiſſimi D. N. Breve, nec privilegia Regularium idem ſonantia, poſſent imprimi.

ARTI-

Oſtenditur juſtitia appellationis, ſeu recurſus ad ſuperiorem, & nonnullis objectionibus reſpondetur.

207. Rectorale Decretum ad notitiam Appellantis pervenit ipſâ die 26. Septembris, quâ affixum fuit muris & valuis. Ejus obtentâ copiâ à Secretario, eâdem die apud D. M. Rectorem conqueſtus eſt, quod ipſo inaudito, rejectâ etiam reſcriptione, & tàm citò, nequidem conceſſo Appellanti in materia tàm gravi, omnium conſcientias concernente, unius hebdomadæ ſpatio ad rationes ſuas deducendas; cùm tamen Romana Sedes multorum ſepè annorum examen præmittat, necnon libros pro & contra diſcutiat quàm maturè, adhibitâ etiam non rarò invocatione S. Spiritus, & ſolemnibus precibus, priuſquam aliquas propoſitiones ſic damnet, niſi queſtio ſit de erroribus omnino notoriis, & anteà damnatis.

208. Unde quantumvis paratiſſimus fuerit, & ſit, propriis expenſis, errores, ſi qui ſint in ſuo libro, emendare, (uti declaravit diverſis, &, ſi rectè meminit, etiam ipſi D. Rectori) & primus publicè contra eos docere: nihilominus cum ob rationes allegatas, nec umbram erroris videret circa ea, quæ in Decreto objiciuntur, decrevit ab eo Appellare.

209. Continet autem prædictum Decretum diverſas partes; videlicet cenſuram & qualificationem Doctrinæ, quæ privativè ſpectat ad S. Sedem, vel E. E. D. D. Cardinalium Congregationem. *c. majores X. de baptiſmo.* Sixtus V. conſtit. 74. Idque etiam ſcripſit huic Univerſitati Cardinalis Caraffi anno 1588. occaſione cenſuræ ab hujus Academiæ Doctoribus editæ.

210. *Secundò* per idem Decretum Appellans inauditus damnatur, tanquam author contentionum & controverſiarum inter Suppoſita, ejuſque liber eo titulo prohibetur, & exemplaria omnia, nullo ſoluto pretio, ad manus Rectoris deferri jubentur.

211. Propterea appellationem interpoſuit generaliter *ad judicem competentem*; ut ſic Sanctæ Sedi reſervaret, id quod ad ejus authoritatem privativè ſpectat; & de cætero injuria paſſa ex indebito modo procedendi repararetur per Univerſitatem, ſi ſe judicaret competentem. Fecerat etiam mentionem quinque Iudicum; ſed D. Rector excluſit appellationem ad illos, declarando poſtmodum *ſe proceſſiſſe ex nobili officio*, quod non eſt penes illos, nedum ſuperius eo, quod eſt penes Iudicem à quo.

212. D. Rector etiam Appellationem rejecit, ſeu per Secretarium mandavit reſponderi verbaliter, *non eſſe Appellationi locum.*

213. Verùm negari nequit, quin locus ſit alicui remedio, ſeu recurſui, aut propoſitioni nullitatis, vel ſimili: quia non poteſt per inferiorem Judicem (qualis eſt D. Rector) adimi alicui defenſio *l. 7. Cod. quomodo & quando Iudex. l. 1. & ibi DD. ff. quæ ſententiæ ſine Appellat.* Defenſionem ſuam huic Almæ Univerſitati propoſiturus, prius ſolvet ea, quæ audit pro juſtificatione Decreti paſſim oblici. Deinde proponet ſigillatim gravamina.

214. *Primò*, 19. Octobris Appellanti in faciem, pluribus præſentibus, à perſona notabili & Sacerdote, objectum eſt, *teneri nos ſequi ſententiam tutiorem: tutiùs eſſe, quod populus confiteatur proprio Sacerdoti, vel alteri, de ejus licentia, quàm alicui Regulari ſine licentia ipſius, & conſequenter Appellantis doctrinam, uti laxam, eſſe eliminandam, & Decretum manutenendum.*

215. Reſponſioni præmittendum & repetendum, quod Rectorale Decretum contineat propoſitionem implicativam, ratione particulæ ETIAM, quâ videtur innui eſſe obligationem ſtrictè dictam, & abſolutam frequentandi Parochias, etiam Miſſæ & Confeſſionis causâ: quarũ præcepto dixerat Appellans ſatisfieri, accedendo Eccleſias Regularium. Quo præmiſſo, objectioni magis explicitè reſpondet Appellans, id ipſum fuiſſe objectum olim à Guilielmo de Sancto Amore, & Ioanne de Poliaco, ut conſtat ex Bulla Calixti III. ad Archiepiſcopum Burdigalenſem, quâ refertur & damnatur hic articulus.

217. *Confeſſio Fratribus, & admiſſis facta dubitabilis eſt, & incerta; unde tenentur omnes incertum dimittere, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœna peccati mortalis. Ac quamvis ipſi Fratres admiſſi authoritatem habeant confeſſiones audiendi, & abſolvendi; tamen ad eos accedendi populus ſubjectus non habet poteſtatem ſine licentia proprii Sacerdotis.*

218. Confirmata eſt hæc Bulla per plures ſucceſſivè Pontifices, ac per ipſum Leonem X. approbante Generali Concilio Lateranenſi, quos retulit Appellans in libro ſuo dict. *n.* 383. *& ſeqq.*

219. Meritò autem damnatus eſt dictus articulus, & conſequenter prædicta objectio: ex qua ſequitur, quod nec liceret ſine proprii Curati licentia confiteri ſuo Epiſcopo, aut ejus Pœnitentiario, vel alteri ab eo authoritatem habenti. Inſuper ſi proprius Parochus licentiam recuſaret, cogeretur quiſque ſecreta domeſtica, aliavè occulta invitus pandere, gravique gehennâ multorum conſcientię conſtringerentur, aut

etiam

etiam erubeſcerent plures ſpecialem illam licentiam exigere; vel ex eo ſolo capite, quod Curato ingereretur opinio gravia aliqua latere, quę Penitens celare ipſum vellet: Et frequenter, cum ſalutis periculo, confeſſio, vel omitteretur, vel differretur.

220. Si autem quicumque objectionem illam formaverunt fateantur, uti fateri debent, & conſtat ex *cap. 2. de pœnitent. in 6. Bouchel lib. 2. Decret. tit. 7. cap. 5. 30. 55. 68. 70. 155. &c.* Epiſcopum poſſe, invito Parocho, dare alicui licentiam alteri confitendi, neceſſe eſt quod fateantur etiam poſſe idem concedi à Summo Pontifice, qui (ut Tridentinum Concilium definivit) eſt omnium Fidelium Paſtor.

221. Non intendit Appellans viam ſalutis laxare; ſed nec putat, cum tanto fidelium incommodo, & periculo conſtringendam. Multi, qui ſub pietatis ſpecie nimis illam coarctarunt, ſibi eandem, & aliis clauſerunt; ut Severiani, Encratitæ, Priſcillianitæ, Cataphryges, Novatiani, Apoſtolici, Judæi, de quibus Act. 15. & alii, qui reſpectivè divitias, uſum carnium, vini, ſecundas Nuptias damnarunt, vel certam legalium obſervantiam, novamque abſtinentiam ad ſalutem neceſſariam cenſuerunt, quos longo ordine damnat Auguſtinus in libro de hæreſibus, aliique.

222. Objectum eſt *ſecundò* à quodam S. Th. Licentiato die 22. Octobris horâ tertiâ pomeridianâ, *Tridentinum Concilium voluiſſe, ut quilibet audiret Miſſam in Parochia ſua, & per hoc ſatis revocaſſe Regularium privilegia, quia Concilium Generale non eget derogatoriis clauſulis.*

223. Reſpondet Appellans ejuſmodi quoque objectionem dudum à Clemente VIII. per litteras datas die 22. Decembris 1592. ad Nuntium Belgii fuiſſe exploſam, quibus decernitur ut *Cameracenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopus Atrebatenſis Parochos in officio contineant, illoſque ab avocatione populi ab Eccleſiis privilegiatorum, ac etiam à propoſitionibus, quibus* TOLLITUR LIBERTAS POPULO AUDIENDI MISSAS IN ECCLESIIS PRIVILEGIATORUM DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS, ac CONFITENDI PECCATA, ETIAM IN PASCHATE *ipſis Privilegiatis abſtinere faciant.* Cenſuit ergo Apoſtolica Sedes non eſſe dictis privilegiis per Tridentinum Concilium derogatum; nec eſſe ſublatam declarationem Pii V. in Bulla *Etſi Mendicantium* allatam ab Appellante in libro ſuo *num.* 414.

224. Objectum eſt *tertiò* Decretum illud latum fuiſſe extrajudicialiter. Reſpondet Appellans, ſicut à judicialibus gravaminibus, ita ab extrajudicialibus permiſſa eſt Appellatio. *c. 23. X. de Appellat. c. 8. eod. in 6. Clementin. 3. eod.*

225. Ob-

225. Objectum eſt quartò, *Decretum latum eſſe per modum Ordinationis politicæ, & ad controverſias evitandas.* Reſpondetur, quòd doctrina Appellantis (quatenus tradidit *accedendo Regulares, vel eorum Eccleſias, Confeſſionis, Miſſæ, aut Concionis causâ* ſatisfieri præcepto; nec, *ſuppoſitis dictis privilegiis, eſſe ſtrictam obligationem accedendi ea de cauſa Parochiam*) non eſt nova, ſed (ut oſtenſum eſt ſuprà *art.* 6.) in variis Europæ regionibus, variis ſucceſſivè temporibus, à plurimis Doctoribus, etiam hujus Almæ Univerſitatis, (quorum libri hîc, nec uſpiàm propter illam fuerunt prohibiti) tradita, & juxta S. Sedis oracula à fidelibus per integrum ſæculum à tẽpore Concilii Trid. obſervata. Unde libri iſtorum DD. qui Theologorum Lovanienſium manibus in dies teruntur, debuiſſent priùs, aut ſaltem unà cum Appellantis libro prohiberi, ſi ob iſtam præcisè doctrinam, diſſenſiones timebantur. Verùm cum ante dicti libri evulgationem tot annorum ſpatio nullæ ſint exortæ, non potuerunt nunc prudenter timeri: & ſi quæ poterant exoriri, non iſti antiquæ doctrinæ adſcribi debuiſſent, ſed potiùs prætenſioni inuſitatæ obligationis.

226. Præterea à politicis ordinationibus & ſtatutis admittitur Appellatio ex cauſa gravaminis interpoſita, ut patet *ex cap.* 6. 10. *&* 12. *X. de Conſtitut.* l. 3. *&* 5. *ff. de decretis ab ordine faciendis.*

227. Objectum eſt quintò, *Decretum latum eſſe ex nobili officio, non mercenario.* Reſpondetur *primò*, diſtinctionem illam mercenarii, & nobilis officii à pluribus Doctoribus explodi, uti confictam, & jure incognitam, *Coraſ. lib.* 1. *Miſcel. Obrectus lib.* 1. *de juriſd. &c.*

228. Reſpondetur *Secundò*, qui diſtinctionem illam admittunt, inter ſpecies eorum, quæ ad nobile officium ſpectant, referunt *reſtitutiones in integrum, conſtitutiones honorariorum Advocatis & Medicis, & alia quæ prætoriis, extraordinariiſque actionibus ventilantur*, in quibus tamen appellationi locum eſſe conſtat ex *cap.* 3. 4. 6. *X. de reſtitut. in integrum*, *l.* 1. *Cod. ſi ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur*; Barboſa *ibid. in Collect. in.*

229. Reſpondetur *tertiò*, quod D. Rector in caſu præſenti, non ex nobili, ſed ex mercenario officio videatur proceſſiſſe. Mercenarium enim dicitur, *quod actioni deſervit*, DD. *ad tit. Inſtitut. de Officio Iud.* Deſervit autem ipſe actioni Paſtorum, adſcribendo eorum libello Apoſtillam communicatoriam, & declarando quod deſuper eſſet Appellans etiam auditurus, *ut patet ex Apoſtilla ſuprà relata num.* 10.

230. Reſpondetur *quartò*, ſi relicto mercenarii officii tramite voluit ad nobile recurrere, dicit Appellans id, quod antea ſcripſit in ſimili caſu,

ſu, poſt Baldum, & alios, Stephan. Pomeranus *lib. 2. de officio Iud. cap. 4. nu. 12. & 13. Poteſt judex invocari ut mandet, inhibeat, etiam non audito adverſario; ita tamen, ut adjiciat hujuſmodi clauſulam juſtificatoriam,* SI TE GRAVATUM SENSERIS, COMPAREAS TALI DIE RESPONSURUS POSTULATORI. *Et tum, ſi adverſarius compareat, reſolutum eſt jam mandatum* IN SIMPLICEM CITATIONEM: *quod ſi verò ſimpliciter mox inhibet, & cogit Iudex adverſarium inauditum,* ABSQUE CLAUSULA IUSTIFICATORIA, *jam nobile quidem officium explicat,* SED INDEBITE, *& talia mandata,* SI CONTRA EXCIPIATUR, NULLA SUNT.

231. Eadem docet Rebuffus *ad l. 9. §. ubi decretum, ff. de officio Proconſul.* Addens eandem eſſe praxim etiam Supremorum Tribunalium, ut ſi ex nobili officio aliquid interim inhibeant, apponatur clauſula, *niſi cauſam,* & eo, cujus intereſt, comparente, *mandatum reſolvatur in citationem.* Idem tradit Vinnius in Inſtitut. *De officio Iud.* poſt Oldendorpium, Tuldenum, Stephan. Pomer. *loc. cit. nu. 14.* & Zaſium, ubi iterùm docet, *eo cujus intereſt comparente converti in mercenarium.* Plures alios adducit Rebuffus ad *dictam l. 9.*

232. Sive ergo ex nobili officio proceſſerit D. Rector, ſive ex mercenario, decretum viribus caruit, ſi noluit cum effectu ſubintelligi in eo clauſulam juſtificatoriam, *niſi cauſam,* vel ſimilem. Stephan. Pomer. & Rebuff. *loc. citat.* Si autem ſubintellexerit, jam mandatum reſolvebatur in citationem, Zaſius *ad l. 1. de juriſdict.* Vinnius *loco citato*: & nobile officium converti debebat *in mercenarium,* ut loquitur Stephan. Pomer *nu. 13.*

ARTICVLVS XII.

Proponuntur gravamina Appellantis.

233. ISTis præmiſſis, gravamina breviter colligendo, dicit Appellans *primò,* quod D. Rector, in ſua Apoſtilla libello Paſtorum adſcriptâ, dixit, *communicetur parti &c.* Voluit ergo Appellantem eſſe litis partem, ejuſmodi enim Apoſtillę inſinuatio citationem ſeu vocationem in jus continet, *cap. 1. 2. 3. & ibi DD. de libelli oblat.* citatio autem eſt principium litis, *§. ult. Inſtitut. de pœna temerè litigantium,* ſicque juris experiundi cauſâ *l. 1. ff. de in jus vocando.*

234. Non debuit ergo admittere proteſtationem Paſtorum dicentium, *nolle ſe litem conteſtari*, quia ubi dixit *communicetur parti* Appellantem voluit partem eſſe,& conſequenter Paſtores compartes: nihil enim dicitur pars, niſi reſpectu compartium ſimul unum totum conſtituentium *cap. 1. X. de decimis. l.plane §. ſed & ſi quis, ff. de legat.* 1.

235. *Secundò*, Paſtores per præſentationem prædicti libelli cum inſcriptione propria ſingulorum,ſeſe ſic obligaverunt Appellanti, ut non fuerit in eorum poteſtate recedere, ſive voluerint illum eſſe civilem, ſive criminalem.

236. De civili libello ita decernit Authentica, *Qui ſemel. Cod. quomodo & quando Iudex. Qui ſemel actionem proponit, ſive conventione judiciariâ, ſive precibus Principi oblatis, Iudicique inſinuatis,* NECESSE HABET USQUE AD FINEM LITEM EXERCERE.

237. De criminali autem dicit Canon. *6. cauſ. 2. q. 3. omnis qui crimen obiicit, ſcribat ſe probaturum, & qui non probaverit, quod obiicit, pœnam patiatur.* Conteſtari ergo debuerunt Paſtores, quia probatio præſupponit litis conteſtationem. *cap. 1. & ſeqq. ubi DD. X. ut lite non conteſtatâ &c.* imo titulus dicit, *ut lite non conteſtatâ non procedatur ad teſtium receptionem, vel ſententiam.*

238. Proinde & *tertiò*, ſi admittere proteſtationem voluit, abſolvere Appellantem debebat, & in illos potius inquirere, *l. 1. §. 3. ff. ad Turpilianum.*

239. *Quartò*, receſſus à lite non permittitur Actori, niſi refuſis expenſis, *l. 13. §. 2. Cod. de Judiciis. Marian. Socin. de citation. ar. 37. n. 19.* ergo Appellantis reſcriptio, quam plurium dierum labore, ignarus proteſtationis Paſtorum, confecerat, fuit admittenda, ut debitè condemnarentur in ejus expenſas.

240. A quibus per proteſtationem prædictam liberare ſe non potuerunt, quia receptum jure eſt, quod proteſtatio ſecreta non relevat, maximè ſi potuit adverſario inſinuari, *l. 5. §. 1. & 2. ibi DD. ff. quod vi aut clam.* Bartol. *in l. 6. §. Celſus ff. de acquir. hæred.*

241. *Quintò*, D. Rector per ſubſequentia Apoſtillæ verba, *quouſque re penitus examinatâ, dictâque parte auditâ, &c.* clarè promiſit ſe reſcriptionem Appellantis admiſſurum, ſeu eum auditurum: eundem ergo perſonaliter comparentem non potuit repellere, & dicere *non eſſe opus reſcriptione*: quia ad Appellantem audiendum jam ſe obligaverat: *judicio enim non minùs, quam ſtipulatione contrahitur l. 3. §. 11. ff. de peculio.*

242. *Sextò*, per eandem Apoſtillam dixerat, *ſubjicientes interim, arreſto libros donec, parte auditâ, aliter per nos fuerit ordinatum.* Vox illa, INTERIM, proviſionalem tantum, & temporaneam diſpoſitionem ſignificat, Barboſa *dictione* 173. *l.* 8. *ff. ad legem Pompeiam de Parricid. l.* 91. *§. ult. ff. de legat.* 1. & promiſſionem de tollendo arreſto, ſi rationes ob quas eſſet latum, refutarentur.

243. Ratio inſerta Paſtorum libello unica hæc fuit, *quod Appellantis opinio repugnaret Doctrinæ Catholicæ, & eſſet pernicioſa ſaluti Credentium*: permitti ergo debebat ut ſaltem unicam adverſus Paſtores exhiberet ſcripturam, cum nec ipſa Romana Sedes ad Propoſitionum qualificationem procedat, niſi præmiſſâ ſuprà allegatâ circumſpectione.

244. *Septimò*, nec tantum reſcriptionem, ut præmiſſum eſt, rejecit; ſed arreſtum proviſionale viâ facti fecit definitivum & abſolutum, ſingulaque exemplaria apud Typographum exiſtentia ad ſe deferri juſſit, non ſoluto pretio.

245. *Octavo*, ſi à defenſione voluit excluſum Appellantem, ſaltem admittere illum debeat tanquam Actorem, & paratum probare doctrinam ſuam non repugnare doctrinæ Catholicæ, nec eſſe pernicioſam ſaluti Credentium Gail. *lib.* 1. *obſervat.* 59. *nu.* 4. *cap. Cauſamque, & ibi DD. X. de dolo & contumacia.*

246. *Nonò*, debebat Appellanti diffamato de *doctrina pernicioſa* permittere actionem injuriarum, ipſius periculo & expenſis ventilandam: *nam ſi quis libello dato Principi, vel alicui famam alienam inſectatus fuerit, injuriarũ eſt agendum* l. 19. §. ſi quis libello ff. de injur. l. 15. l. 19. Eod. Damhoud. *prax. criminal cap.* 139. *nu.* 6. & dare hanc breviſſimam Apoſtillã, *communicetur parti*, quandoquidem Dominis Paſtoribus, etiam proteſtantibus quod nollent litigare, conceſſerat tam magnam & liberalem.

247. At vero, loco Apoſtillæ, reſpondit verbo, *negotium eſſe magni momenti, & opus eſſe maturâ deliberatione.*

248. *Decimò* ad illam reſponſionẽ rogavit Appellans ne in deliberando adhiberet partiales, aut ſuſpectos: audiit tamen adhibitum eſſe D. Chamart Profeſſorem Decreti, cujus conſilio tam perperam in alia cauſa, ſub alio Rectore, fuerat idem Appellans condemnatus, ut ipſius ſententia fuerit penitus reformata, cum adjudicatione omnium expenſarũ.

249. *Undecimò*, qui de Conſilio Univerſitatis exiſtunt, nequeunt (vetantibus ſtatutis) in jus vocari, niſi præmoniti fuerint, & ad monitionem competenter ſatisfacere detrectarint; ergo Appellanti debuit prius no-

tificari in quo erraſſet, & proponi, *an errorem paratus eſſet retractare*, & tunc demùm poſtquam parere diſtuliſſet, citari.

250. *Duodecimò*, prohibitio libri Appellantis fundatur in eo *quod graves contentiones, & controverſiæ exortæ ſint occaſione doctrinæ per ipſum traditæ*, QUORUM RATIONE, inquit Rector in Decreto, CUM IN OPPIDO AC CIVITATE LOVANIENSI GRAVES CONTENTIONES EXORTÆ SINT, PRO MUNERIS, QUO FUNGIMUR, DEBITO DICTUM LIBRUM PROHIBENDUM CENSUIMUS.

251. Hoc autem, *an occaſione dictæ doctrinæ controverſiæ & contentiones ſint exortæ, facti eſt*: prius ergo probari debuit, quam deſuper Appellans condemnari *l.* 1. 11. 16. 23. 25. *Cod. de probation. DD. ad legem unicam Cod. ut quæ deſunt advocatis.* Ad implendam autem probationem audiri debuerunt teſtes, & hi prævîe jurare *de dicenda veritate*, Appellante prius citato ad videndum præſtari hoc juramentum, *c.* 2. 29. 41. 51. *X. de teſtibus.*

252. Neque enim noverat Appellans, nec plurimi alii de Concilio Univerſitatis exiſtentes (ad quorum conſcientiam ſe refert) an, & quæ contentiones ortæ eſſent occaſione doctrinæ per ipſum traditæ ſuper frequentatione Parochiarum, & quis primò contentiones illas ſuſcitaverit, & quomodo.

253. *Decimò tertiò*, ſi quæ contentiones ortæ ſint occaſione præfatæ doctrinæ, præſumendæ erant potius traxiſſe originem ab ipſis Paſtoribus, quam ab Appellante, qui nihil aliud docuit, quam quod impunè antea, & abſque contentionis ſpecie, docuerant alii Lovanii, Bruxellis, Romæ, &c.

254. *Decimò quartò*, ſi tamen reverà contentiones ortæ eſſent, D. Rectorem oportebat facere, quod in ſimili caſu fecit ſua Majeſtas anno 1592. 28. Octobris per litteras datas ad Duacenſem Magiſtratum, injungendo interim partibus ſilentium, donec conſulta eſſet Sancta Sedes, ad cujus examen tam gravis & inuſitatæ obligationis materia meritò erat referenda.

255. *Decimò quintò*, Tridentini Concilii interpretationem, qualem edidit D. Rector, doctrinam Appellantis cenſurando, cenſuram ſuam per edictum in locis publicis affixum, & in diverſas Belgii partes transmiſſum, publicando, privativè Sanctæ Sedi, & S. Congregationi reſervavit Sixtus V. *conſtitutione* 74. Decretum illius ergo fuit nullum defectu jurisdictionis.

256. *Decimò ſextò*, condemnatur Appellans tanquam, qui ſimpliciter dixerit; *non eſſe aliam quam honeſtatis obligationem frequentandi Parochiam*,

etiam in ordine ad audiendum verbum Dei: quantum tamen ab illa doctrina differat multis oſtenſum eſt ſuprà *à nu.* 191.

257. *Decimò ſeptimò*, condemnatur inſuper tamquam qui impegerit in breve S. D. Alexandri VII. Super quo ſe refert ad dicta ſupra, *articulo X.*

258. *Decimò octavò*, damnatur tanquam qui occaſionem quæſierit agendi de obligatione frequentationis Parochiarum; quam tamen dederunt minus diſcreti quidam Paſtores, conantes imponere jugum, quod credit nimis grave, ſuper filios Adami: docendique erant Diſcipuli (qui ad Paſtoralia munia formantur) ne prætextu officii torquerent ſubditorum conſcientias, & eorum indebito zelo perirent oves, quas tàm pretioſo ſanguine Chriſtus redemit.

259. *Decimò nonò*, damnatur tanquam qui falsò aliquas ex proſcriptis nuper à S. Sede in morali materia quadraginta quinque propoſitionibus, adſcripſerit quibuſdam Doctoribus Lovanienſibus. Super quo ſe refert ad dicenda Articulo ſequenti.

260. Univerſitas Lovanenſis præclaris ſemper abundavit Theologis tam ſecularibus, ex quibus, primo ſæculo quo adolevit, facilè viginti octo; quam Regularibus, è quibus penè ſeptuaginta eodem tempore Doctoratus gradum ſuſceperunt, & Summis Pontificibus ad obtinendum ampla privilegia commendarunt. Non tamen his, vel illis infallibilitas eſt promiſſa.

261. *Homines ſumus*, inquit Auguſtinus *contra Donatiſtas: unde aliquid aliter ſapere quam res ſe habet, humana tentatio eſt: & ideo plerùmque doctioribus minùs aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur, vel quomodò teneant unitatem cum in rebus obſcurioribus diversè ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt.*

262. *Vigeſimò*, ſuppoſito proinde (non tamen conceſſo) malè citatum fuiſſe Adrianum, Molanum, Janſenium Gandenſem; an ideo tanta ex parte Appellantis data erat contentionum, controverſiarumque cauſa, ut propterea veniret liber ejus prohibendus, potius, quam Merceri, Wiggers, ipſiuſmet Adriani Quæſtiones & Quodlibeta, vel ipſe Saül Ex-Rex, cujus (præter ea quæ ſcripſit Appellans *in libro ſuo cap.* 11.) plures alias falſas, impertinenteſque citationes obtulit in reſcriptione ſua verificare?

263. *Vigeſimò primò*, ſi citationes illæ falſæ fuiſſent, & doctrina de fre-

 quen-

quentatione Parochiarum erronea, equidem non debuit liber ille prohiberi ſimpliciter, ſed tantum cum clauſula, *donec expurgetur*, prout obſervat S. Sedes, quando liber aliquis continet nonnullos erroneos articulos, qui facilè poſſunt à cæterorum contextu ſeparari.

264. Separari poterant citationes allegatæ, & *numerus* 4. ibidē à Paſtoribus reprehenſus, ſi (quod non credit) in iis fuiſſet aliquis error: & ſuper hoc puncto audiendus erat Appellans, dum verbaliter obtulit ſuis expenſis corrigere, ſi pars adverſa poſſet vel minimum errorem oſtendere.

265. *Vigeſimo ſecundò*, Sereniſſimi Principes Albertus & Iſabella *artic.* 42. 50. *&* 56. *Ordinationum Curiæ Rectoralis*, ſub pœna indignationis ſuæ, mandant Rectori, ut appellationi à definitiva, aut definitivæ vim habente deferant, & interim, ceſſet executio; verùm iterum (ut dictum eſt) D. Rector appellationem rejecit.

266. Audit nunc rejectionem fundari in eo, *quod à decretis extrajudicialibus non appelletur, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum*, & *conſequenter non obſtante Appellatione quâvis, Decretum debere obtinere robur & executionem, quouſque per tres ſententias conformes fuerit declaratum nullum, vel injuſtum, & propterea* (ſic in faciem Appellanti dictum eſt) *hæc lis ſimilis erit liti D. Davæ, quam ſi proſequatur Appellans, prius videbit mortem, quam finem.*

267. Sed ſperat meliora. Conſtat enim tam ex declaratione D. Rectoris datâ die 23. Septembris, quam ex libello conventionali adverſus Paſtores præſentato die 24. ejuſdem, *cujus originale extat apud Acta*, quod omnibus, quibus potuit modis Appellans, conſtituit ſe contradictorem.

268. Per comparitionem autem contradictoris legitimi, ſeu habentis intereſſe, actus qui alias forent purè extravidiciales, fiunt judiciales. Idque veriſſimum tradit Salgado *de Protect. Regia parte* 2. *cap.* 14. *nu.* 30. *Ita ut*, inquit, *tunc debeat omnino judicialiter audiri, & de exceptionibus oppoſitis in forma judiciali cognoſci, & negotium neceſſariò veniat terminandum per ſententiam definitivam, & ſic* APPELLATIONI LOCUM OMNINO FORE, QUOAD UTRUMQUE EFFECTUM DEVOLUTIVUM ET SUSPENSIVUM.

269. Imo ea quæ aliàs ſunt meré voluntariæ juriſdictionis, & per ſimplex Decretum expediuntur (ut eſt collatio Beneficii) quando intervenit oppoſitio & contradictio, fiunt juriſdictionis contentioſæ, teneturque Judex (inquit idem Salgado, *cap.* 13. *nu.* 81.) *in cognitione aſſumere partes judicis, & judicialiter procedere*, eamque eſſe Doctrinam communem latè tradit, & pluribus authoritatibus, juribuſque confirmat, *dicto cap.* 13.

nu. 37. *&*

nu. 37. *& multis ſequentibus* iterumque addit, *locum eſſe Appellationi* QUOAD EFFECTUM UTRUMQUE.

270. Præterea, conſtat in caſu præſenti, quod D. Rector Appellantem citaverit, Decretum & libellum ſupplicem inſinuante Notario Blehen, ipſoque originali pro more tradente. Ex quo ſequitur *primò* quod cenſuerit Appellantem eſſe legitimum contradictorem, & talem effecerit, Menochius *de adipiſcend. poſſeſſ. remed.* 4. *n.* 602. *uſque ad* 622. ubi ait expreſsè, *per citationem approbatam eſſe perſonam citati, & eſſe regulam, quod ſit legitimus contradictor. Idque*, inquit, *procedit etiamſi citatus contumax fuiſſet; nam refuſis expenſis adhuc eſt audiendus.*

271. Sequitur *ſecundò*, quod ſic citando, aſſumpſerit partes judicis, eo quod citatio non poſſit expediri à Iudice, niſi ut Iudice, Salgado *dicto cap.* 13. *n.* 83. *& multis ſeqq.* atque induxerit litis-pendentiam, *Clem.* 2. *ut litependente. Litem pendere* (inquit Concilium generale ibidem) *cenſemus, poſtquam citatio in ea emanavit à judice competenti, & ad partem citatam pervenit.*

272. Hoc facto ſuo obſtrinxit ſe D. Rector ad obſervationem judicialis ordinis; nec ei licuit ad extrajudicialem viam redire, *Salgado dicto cap.* 13. *nu.* 101. idque iterùm fusè probat per jura, Doctores, & varias deciſiones uſque ad *nu.* 136. ubi ex prædictis infert, *quod ſi tunc redeat ad viam extra judicialem, licita ſit appellatio, & appellationis denegatio violentiam contineat, ſeu detegat*; & operetur utrumque effectum, tàm ſuſpenſivum, quàm devolutivum, *ita nu.* 137. *poſt Covarruviam, Tuſcum, Nattam, Ozaſcbum, & plurimos, quos adduxerat cap.* 6. *& iterum part.* 4. *cap.* 13.

273. Ex quibus Appellans concludendo, ſupplicat *primò*, ut Domini dignentur benevolè acceptare hanc informationem, quam coactus eſt magno ſumptu typis mandare, ob notabilem numerum perſonarum, quibus hujus Univerſitatis Concilium conſtat, à quo cum D. Rector liberaſſet, ſi dignatus fuiſſet datas ſcripto, & dandas ulteriùs ſimiliter, acceptare informationes.

274. *Secundò*, dignentur perpendere quod, ut Iudex ad quem, aut is, coram quo gravamen proponitur, Sive ex parte nullitatis, Sive ex parte injuſtitiæ, teneatur illud reparare, ſufficiat unica cauſa injuſtitiæ aut nullitatis; Sive proveniat ex incompetentia, *DD. ad tit. de foro competenti*, Salgado *p.* 2. *c.* 1. *nu.* 38. *&* 39. Sive ex rejectione exceptionis, Gonzales *in annot. contra nullitates n.* 190. Aut articulorum à Reo exhibitorum, Gonzales *ibidem*, ubi refert ita quoque deciſum:

ciſum : Sive ex defectu conteſtationis litis, *cap.* 1. 2. 4. 5. *ut lite non conteſt.* Aut debitæ examinationis teſtium ſuper factis, *cap.* 2. *&* 7. *de teſt.* Vel competentis cognitionis cauſæ, *cap.* 11. *de probationibus*. Aut quia contradictor legitimus non eſt admiſſus, Salgado *p.* 2. *cap.* 14. *nu.* 30. Aut quia electâ viâ judicali, aſſumpſit judex extrajudicialem. &c. iiſque omnibus caſibus ad utrumque effectum appellationi eſt locus, Salgado *locis citatis.*

275. *Tertiò,* quia tam D. Rector per ſuum procedendi modum (quantum in ipſo fuit) extrajudicialem, quam illi, quos in conſilium aſſumpſit, tàm ante confectum Decretum, quàm poſteà pro ejus executione, aut manutentione (inter quos Appellans audit interveniſſe DD. Pontanum, Van Werme, utrumque Van Vianen, & Chamart (alios ignorat) functi ſunt officio; petit, ut à Cōgregationibus & deliberationibus ſuper hac Appellationis, ſeu recurſus causâ, incidentibus & emergentibus, annexis & connexis excludantur, unà cum aliis Doctoribus Theologicæ Facultatis, contra quos Appellans litem ſuſtinet in Privato Concilio, *ut conſtat ex actis Univerſitatis diei* 30. *Decemb.* 1661. *& menſis Ianuarii ſubſequentis,* decidaturque hæc cauſa (quæ tota juridica eſt, concernens ſcilicet indebitum procedendi modum D. Rectoris) per quatuor Facultates, quæ indubiè ad hoc capaciſſimæ ſunt.

276. Petit *quartò,* ut, attentis prædictis gravaminibus, vel illorum aliquo ſufficienti, revocetur præfatum Rectorale Decretum, & ea quæ ſubſecuta ſunt in ejus executionem.

277. *Quintò*, ut articuli ad interpretationem Tridentini Concilii, gravemque adeo populi obligationem ſpectantes tranſmittantur ad S. Sedem terminandi, prout coram D. Rectore petierat Appellans, relictâ parti adverſæ facultate ſuas pariter rationes pro juſtificatione obligationis conſcientiarum (qualis per Rectorale Decretum prætenditur, vel prætendunt ii, qui doctrinam Appellantis reprehendunt, exhibendi eidem S. Sedi, & ejus judicium expectandi cum omni humilitate & reverentia, atque ſuſcipiendi, obſervandique debito.

Ad litteras circulares S. Caroli Borromei, dicit Appellans, illas non tam agere de iſto verbo Dei, quod vocamus *Concionem*, quam de *rudimentis fidei*, de quibus agit Trident. *d. ſeſſ. cap.* 7. nec ſupponunt honeſtam cauſam ſe conferendi ad Regulares : nec declarant quanta ſit obligatio reſpectu Concionis, & qualiter illa diſtrahatur per particulam ſæpè dictam *ubi commodè id fieri poteſt* : nec ipſi Paſtores Lovanienſes obſervant eaſdem pro illa parte, quæ concernit ipſos, & incipit, *ac proinde, &c.*

ARTICULUS XIII.

Examinatur prima pars Decreti Rectoralis, ſeu, an Appellans aliquas ex damnatis propoſitionibus falſò adſcripſerit quibuſdam antiquis Doctoribus Lovanienſibus? & an propterea ejus liber proſcribi mereatur?

278. SOlent Profeſſores, ad Diſcipulorum exercitium, frequenter aliorum ſententias proponere, & refutare: quod maximè Theologis Lovanienſibus hiſce temporibus fuit familiare: à quibus variæ Theſes, Cenſuræ, Libri, & noviſſimè Saul Ex-Rex prodiere impunè, etiamſi hic non ſemel aliis aliquas propoſitiones adſcripſerit, ut oſtendit Appellans *p. 1. libelli de quo quæſtio, cap. 11.*

279. Contrariarum etiam opinionum Authores, vel Defenſores ſæpè in partes ſuas trahunt aliquem è SS. Patribus, v. g. S. Auguſtinum, aut D. Thomam, etiam Scripturam Sacram: è quibus neceſſe eſt errare alterum, & Sancto Patri, vel Spiritui adſcribere, quod non tradidit.

280. Faſtorum item Academicorum Author, ſeu Valerius Andreas Lovanienſis Doctor, non tacuit errores Petri de Rivo, Michaelis Baii, & aliorum in Sacra Theologia Lovanij Doctorum & Profeſſorum *Faſti Academici pag. 337. & ſeqq. uſque ad 367.*

281. Quid tantoperè peccavit Appellans, ſi, alios ſecutus, *in libelli ſui parte. 2. nu. 5. & ſeqq.* credidit, non vanis rationibus ſtatim referendis, erraſſe in aliquo Janſenium Gandenſem, vel Molanum?

282 Quid peccavit tantoperè, ſi ſecutus eſt Illuſtriſſimum D. Fagnanũ utriuſque Signaturæ Referendarium in commentariis ad Decretales, quæ, poſtquam quinquaginta annis ſacræ Congregationi Eminent. Cardinalium Tridentini *Interpretum, ac negotiis Epiſcoporum & Regularium*, aliiſque fuiſſet à Secretis, de mandato Suæ Sanctitatis, edidit Romæ anno 1661. cæteroſque Canoniſtas fere omnes, cenſuit Adrianum aliioſque Theologos minus textum aliquem canonicum percepiſſe.

283. Quæ per hoc, quæſo, illata eſt ipſis iniuria? Errare humanum eſt, ignominioſum autem nulli, niſi pertinaci. Erraſſe Auguſtinum do-

ceat retractationum libri: Erraſſe Hieronymum in materia de gratia, & plures cum eo Antiquiores Patres tradidit Janſenius Iprenſis *tom. 1. lib. 7. cap. 4.* ubi ait.

284. *Non abs re fuerit paulò diligentiùs indagare, quinam antiquorum, ante Maßilienſes & Auguſtinum, in opinionem illam lapſi ſint. Occurrit hic inter primos D. Hieronymus, qui ſententiam illam ita clarè deſertèque profitetur, ut non videam, quo pacto excuſari poßit*, quem tamen optimè excuſari poſſe, nec ullam erroris vel minimi labem habere oſtenderunt plures, & ipſe Appellans *p. 1. in Acta Apoſtolorum queſt.* 74. Fuit nihilominus Janſenius uſque ad publicatam damnationem Pontificiam toleratus.

285. Facilè crediderit Appellans ſe, vel aliquorum Authorum minùs eſſe aſſecutum ſenſum, vel eos, quos in citando ſecutus eſt, errori præcucurriſſe, præſertim cum aliquos ex Ordine DD. Dominici, & Franciſci, propter difficultatem acceſſus ad eorum Bibliothecam, remotiùs ab ipſius ædibus diſtantem, non potuerit pro voto in fonte conſulere.

286. Attamen non vidit, nec probatum eſſe credit, quod in aliquo erraſſet citando cum plurimis aliis, tres ſupra nominatos Lovanienſes Doctores.

287. Quod enim attinet ad Adrianum VI. (cujus verba retulit Appellans *in libro ſuo nu.* 350. *&* 351.) clariſſimum eſt, quod ille, *de ſacram. confeſ. q.* 5. doceat, *eum qui habet licentiam alteri confitendi poſſe indifferenter adire quemcumque ſacerdotem.* Ad pœnam libri, & conſulatur ille.

288. At verò id non tantum erroneum eſſe, poſt Tridentinum Concilium, ſed etiam retrò anteà omnino falſum fuiſſe teſtatur Gloſſ. *in cap. omnis utriuſque ſexus, X. de pœnit. & remiſſ. & ibid. Butrio, Benaven. Panorm.* (quem non variaſſe eo modo, quo credidit Adrianus, oſtendit Appellans *ibid. nu.* 370. *uſque ad* 375.) & noviſſimè dictus Fagnanus, *in cap. ne pro dilatione*, ubi oſtendit Theologos, quibus Adrianus conſentit, planè hallucinatos fuiſſe, ſeu, ut loquuntur Philoſophi, *petiiſſe Principium.*

289. Et certè ſi Canones, & Eccleſiaſtica Concilia conſulamus, inveniemus Lateranenſe Concilium Generale ſub Innocentio III. anno 1215. ſtatuiſſe, *ut Sacerdos, qui confeßionibus excipiendis præficeretur, foret diſcretus & cautus, qui more periti Medici ſuperinfunderet vinum & oleum vulneribus ſauciati.*

290. Hoc Concilium ſic intellexere Epiſcopi, ut officii ſui eſſe cenſuerint per ſuas Diœceſes, earumque ſingulos Decanatus, Sacerdo-

tes

tes ſelectos eligere, quibus non tantum laici, ſed etiam Cleriri, Canonici, Sacerdotes, etiam Eccleſiarum Rectores, confiteri poſſent, quoties ſuoEpiſcopo, Decano Rurali, aut aliàs ſuo Superiori erubeſcerent confiteri.

291. Unde in Concilio Oxonienſi, quod proximè Generale illud Lateranenſe ſecutum eſt anno 1222. ſtatutum fuit in hunc modum: *quoniam nonnunquam, ob defectum Confeſſorum, vel quia Decani rurales, & perſonæ erubeſcant fortè confiteri ſuo Prælato, certum imminet periculum animarum, volentes huic morbo mederi, ſtatuimus, ut* CERTI CONFESSORES *prudentes & diſcreti, per ſingulos Archidiaconatus* AB EPISCOPO LOCI *conſtituantur, ut Decanorum ruralium, Presbyterorum & perſonarum excipiant confeſſiones. In Cathedralibus Eccleſiis, ubi ſunt Canonici ſæculares, confiteantur ipſi Canonici, vel Decano, vel certis perſonis, ad* HOC PER EPISCOPUM, DECANUM, ET CAPITULUM CONSTITUTIS.

292. Idem ſtatutum in Londonienſi anno 1237. his verbis: *per ſingulos Decanatus prudentes viri, & fideles conſtituantur* PER EPISCOPUM CONFESSORES, *quibus perſonæ & minores Clerici confiteri valeant, qui Decanis erubeſcunt confiteri.*

293. In Andegavenſi anno 1291. *ſtatuimus, ne quis Monachus confeſſiones cujuſpiam Parochianorum, etiam de conſenſu Rectoris audiat, niſi de licentiat* EPISCOPI ET CONSENSU.

294. Anno 1296. Bonifacius VIII. in Decretali *ſuper Cathedram* conſtituit, *ut numerus perſonarum aſſumendarum ad audiendas confeſſiones eſſe deberet, prout Univerſitas Cleri, & Populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem. Et ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi audiendarum concesſerint, illam præfati Magiſtri, miniſtri, & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur. Quod ſi fortè jam dicti Prælati quemquam ex dictis fratribus præſentatis, eiſdem ad hujuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto, vel ſubtracto, loco ipſius, ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit, & debeat alius ſurrogari. Si vero iidem Prælati præfatis Fratribus ad confeſſiones, ut præmittitur, audiendas electis hujuſmodi exhibere licentiam recuſarint, nos ex nunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium, liberè, licitèque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impartiri gratioſè concedimus, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.*

295. Idem renovatum eſt in Generali Concilio Viennenſi anno 1311. & in Pictavienſi anno 1367. *Sacerdotes Curati nobis, vel Pœnitentiarii, noſtris confiteantur, vel illis, quos* SPECIALITER DEDERIMUS CONFES-

SORES, *& inhibemus ne quis eos abſolvat, niſi ſuper hoc à Sede Apoſtolica, vel Legatis ejuſdem, vel à nobis acceperit poteſtatem.* Idem Statutum fuerat anno 1304.

296. Et in Pariſienſi ſub Wilielmo Epiſcopo, *præcipitur Sacerdotibus, quod bis in anno ad minus; videlicet in Adventu Domini, & Quadrageſima peccata ſua confiteantur* CONFESSORIBUS PER SINGULOS DECANATUS CONSTITUTIS.

297. In Synodalibus Trecenſibus eorundem fere temporum, *omnes Sacerdotes debent ſaltem ſemel in anno Epiſcopo ſuo, aut* EIUS PÆNITENTIARIO EIS ASSIGNATO, AUT ALIIS, EIUS AUTHORITATEM HAC IN RE HABENTIBUS, *integrè confiteri: nec credant Sacerdotes quod niſi de* DE LICENTIA EPISCOPI POSSINT *pro voluntate ſua ſibi eligere Confeſſorem, qui ſuarum curam habeat animarum: hoc enim ſolis Epiſcopis, & quibuſdam Prælatis exemptis eſt conceſſum.*

298. Et parùm infra: *Sacerdotes, Eccleſiarumque Rectores non debent ad invicem confiteri.*

299. Denique non niſi per ſpeciale privilegium Religioſi uſque ad Tridentini Concilii tempora obtinuerunt, ut à ſuperioribus ſuis judicati idonei ad audiendas confeſſiones, ſi Epiſcopis præſentati indebitè recuſarentur, haberentur pro admiſſis. Sic enim ſtatutum eſt *in dicta Decretali* ſuper Cathedram, *in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. Seu in dicta Clementina* Dudum, *& in Lateranenſi celebrato ſub Julio II. & Leone X.* circa id temporis, quo Adrianus adhuc Lovanii degebat, & quo ipſius illud opus, quod Appellans allegavit, imprimebatur.

300. Sic autem in Lateranenſi Concilio ſupradicto ſcriptum eſt, *poſſintque Regulares per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem hujuſmodi ſacramenti peritiâ dumtaxat examinari: talibuſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis, confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit* omnis utriuſque ſexùs, *quoad confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur: Ipſique Fratres etiam forenſium confeſſiones audire valeant.*

301. An omnia hæc conſiſtant cum Doctrina Adriani, dicentis *eum, qui habet licentiam alteri confitendi poſſe indifferenter eligere quemcumque Sacerdotem?* aut cum doctrina eorum, qui volunt *ante Tridentinum Concilium non fuiſſe opus examine & admiſſione Ordinarii, ſeu approbatione aliqua ad audiendas confeſſiones,* viderit æquus Lector.

302. Nec Adrianum juvare poterat pretenſa conſuetudo: quia per *cap. 2. X. de pœnit.* eſt ſatis clarè improbata, nec illa vim obtinere poteſt quo-

quoties adverſus illam lex renovatur *l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo.*

303. Ut autem etiam appareat,quâ ratione Janſenium Gandenſem,& Molanum cum aliis Appellans conjunxerit; advertendum eſt quod non dixit, *illos docuiſſe damnatam propoſitionem*,ut in Decreto ſupponitur & aſſeritur, ſed, vel docuiſſe damnatam, vel proximè affinem: ſic enim Authores referendo ſcripſit *p. 1. cap. 8.*

304. *Porro ex iis qui damnatas propoſitiones,* VEL PROXIME AFFINES *docuere,inferius allegati ſunt ſequentes: Sorbonici Gamachæus, Du Vallius, Ioannes de Poliaco. E Duacenſibus, Sylvius. E Cracovienſibus, Cromerus. E Trevirenſibus Binſſeldius: E Cantabrigenſibus, Ioannes de Burgo Cancellarius: E Valentinis, Ioſephus Rocafull Procancellarius Academiæ. E Lovanenſibus, Janſenius Gandenſis, Molanus, Adrianus.* Tum parum infra, *E Regularibus quoque damnatas docuere diverſi &c.*

305. Appellans enim conjungere voluit omnes,quos cenſuit aliquo modo circa materiam damnatæ propoſitionis erraſſe, ut Diſcipuli ejus pleniùs varietatem opinionum, fundamentorum diverſitatem, totamque materiam cognoſcerent, & quà defendendo, quà diſputando diſcuterent, ipſiſque ad ſic diſcutiendum faciliorem pararet viam, multiplici allegatione Authorum,quos partim privato ſtudio collegerat,partim ab aliis citatos viderat.

306. Et quando in articulorum ſummariis hoc vel ſimili modo locutus eſt, QUINAM EAM DOCUERUNT, non intellexit indentitatem numericam, ſed genericam materiæ damnatarum propoſitionum, circa quam alii per exceſſum, alii per defectum, alii autem damnatam in terminis docendo erraſſent.

307. Hoc ipſum(præterquam,quod, ante omne præſentis controverſiæ indicium, declaraverat Diſcipulis ſub Auguſti finem) clariſſimè antea expreſſit in libro ſuo plurimis in locis, quibus ſub illo, aut ſimili titulo, QUI EAM DOCUERINT, retulit diverſiſſimas, & ſæpe pugnantes opiniones, *ut à nu.* 74. *uſque ad* 76. *à nu.* 140. *uſque ad* 146. *à nu.* 235. *uſque ad* 241. *à nu.* 430. *uſque ad* 433. &c. declarando etiam præfatis diſcipulis ſe diſtinguere PROXIME AFFINES ab AFFINIBUS SIMPLICITER: hoc poſteriori nomine eas intelligens, quas non audebat erroris accuſare, licet non per omnia probaret. Uti etiam evidenter expreſſit *à nu.* 20. *uſque ad* 42. *incluſivè.*

308. Non ergo damnandus erat tanquam qui Molano, Janſenio Gandenſi, vel Adriano DAMNATAS PROPOSITIONES ADSCRIPSISSET, ſed

in eo, *quod adſcripſiſſet damnatas vel proximè affines*; ſi tamen damnari poterat ſolus, qui plures alios eſt ſecutus, ex rationibus etiam adverſus Molanum & Ianſenum Gandenſem non levibus.

309. Nam quamvis Gandenſis in *cap.* 81. concordiæ citato per Appellantem *in libro ſuo nu. 6. & 10.* aliquoties mentionem faciat actualis amoris Dei, tamen iſti obligationi in tantum detrahit, ut non videat Appellans quomodo conformiter divino juri, & menti Pontificis primam propoſitionem damnantis, loquatur. Obligationem ad actum amoris Dei Ianſenius facit veluti tantum ſecundariam, & dicit: *ubicumque in ſcripturis exigitur dilectio. non tam exigitur dilectio affectus, quàm charitas operis.*

310. Si ubicumque, ergo ſecundum ipſum in illo præcepto, quod eſt ſpecialiter de diligendo Deo, *non tàm exigitur dilectio affectus, quàm charitas operis.* Et illud quidem dicit Ianſenius in explicatione iſtius præcepti: *diliges Dominum Deum tuum.* At illud de affectu ſpecialiter eſſe datum docet S. Thomas 1. 2. *q.* 100. *a.* 10. & 2. 2. *q.* 44. *a.* 1. *ad* 1. velut de fine præceptorum omnium. *D. Th.* 1. 2. *q.* 99. *a.* 1. *ad* 2. ideo à Chriſto, Matt. 22. dicitur: *mandatum primum, & maximum*, quod Sinnickius in Saule *pag.* 401. intelligit, quatenus eo præcipitur affectus, ſeu amoris actus. Quomodo ergo dicit Janſenius, *non tam per illud exigi dilectionem affectus, quàm charitatem operis?*

311. Secundo in explicatione iſtius, *diliges Deum*, ut oſtendat *quod ubicumque exigitur dilectio, magis charitas operis exigatur, quàm affectus*; inducit teſtimonia Scripturæ agentia præciſè de dilectione Proximi, *ſeu inimicorum, & eorum qui oderunt nos.* At verò longè aliam eſſe rationem dilectionis Dei, & Proximi teſtatur Sinnichius in Saüle *pag.* 403. *Non eſt*, inquit, *par ratio diligendi Deum, & diligendi Proximum*, &c. item, *potiori juri obſtringimur diligere Deum quàm Proximum*, item, *Deus eſt finis ultimus & unicus, propter quem* PRIMARIO DILECTUM &c.

312. Si ergo juxta mentem Sinnichii Pontifex damnavit primam propoſitionem; ſeu, ſi (ut Lovanii dictum eſt) Sinnichius fuit Præcurſor Pontificis, non videt Appellans, quâ ratione non ſit damnata mens Ianſenii, qui inſuper, dum ſic parificat obligationem amandi Deum & Proximum vix eſt ut obligationem ſtatuat plerumque pluſquam venialem Quod, an gravitati primi & maximi mandati conveniat? viderint qui adverſantur.

313. Finaliter qui damnatam propoſitionem videntur docuiſſe, paſſim

ſim admiſerunt obligationem aliquam eliciendi actum amoris : & potiſſima quæſtio fuit, *an eſſet obligatio ſub mortali:*

314. Molanus loco, quem citavit Appellans in ſuo libro *nu.* 7. *ſeu in compendio Theologiæ practicæ tract.* 3. *nu.* 16. nihil amplius dicit de neceſſitate actus interni divini amoris, quam Ianſenius, imò minùs, propterea eadem argumenta urgent, & fortiùs premunt adverſus Molanum.

315. Finaliter cupit Appellans ſingulariter adverti, quod Janſenium non à ſe ipſo citavit; ſed ut ab alio citatum, eique conſentientem Molanum retulit: ſic enim in libro *nu.* 5. ſcripſit, *Ioannes Sanchez verba Divi Thomæ ſic explicat. Deinde*, *citato Ianſenio cap.* 81. *ſubjungit.*

316. Tum relatis Ioannis Sancii verbis ita *nu.* 6. ſcripſit *Ianſenius loco citato ita habet &c.* & *nu.* 7. addidit: *à Gandenſi Epiſcopo non recedit Molanus.* An hoc ſit adſcribere poſitivè, & ſimpliciter dictis Doctoribus damnatam propoſitionem, uti Rectorale Decretum inſinuat, nullâ citationis alienæ mentione factâ, an verò ſolùm relativè? judicent prudentes, & an liber Appellantis potuerit propterea prohiberi, non prohibito libro Ioannis Sanchez, qui prius citaverat Ianſenium?

F I N I S.

B R E V E

CLEMENTIS VIII.

Ad Nuncium Apoſtolicum Belgii.

SIgnificatum, fuit Nobis nuper, non ſine gravi animi noſtri moleſtia, nuper in Oppido Duacenſi Atrebatenſis Diœceſis *nonnullos Parochos maximo cum fidelium ſcandalo*, tum dicendo & concionando, tum omnes reprehenſionibus, & *cenſurarum Eccleſiaſticarum comminationibus perterrendo* Chriſti-fideles avertere, ne *feſtis diebus ad Eccleſias Fratrum Ordinis Mendicantium, atque Collegii Societatis Ieſu* pro Miſſis audiendis accedere, & ne etiam,

etiam, *quadrageſimali & Paſchali tempore* Fratribus dictorum Ordinum, ac Presbyteris Societatis Ieſu peccata ſua confiteri poſſent, auſos fuiſſe. Affirmantes ipſis fidelibus *tam de jure, quam de conſuetudine prohibitum eſſe in aliis quàm Parochialibus Eccleſiis Miſſas diebus Feſtis audire*, nec licere illis quadrageſimali & Paſchali tempore, aliis præterquam propriis Parochis peccata ſua confiteri. Vnde maximam in fideli populo exortam fuiſſe animorum perturbationem, accepimus. Contra enim Fratres Ord. Prædicat. & Conventualium, ac Presbyteri dictæ Societatis *Privilegiis Apoſtolicis ſuffulti* tum privatim tum publicè in cōcionibus *contrarium uſum in Eccleſia Dei receptū & permiſſum, ac à SS. Patribus, Oecumenicisque Conciliis approbatum* defendere conati fuerunt. Rem autem eò protractam fuiſſe intelleximus, ut graves inde diſſenſiones inter dictos Parochos & Presbyteros Societatis Ieſu ſubortæ fuerint. Quod autem Nos gravius affecit, illud imprimis fuit, quod Verab. Fratres Archiepiſcopus Cameracenſis, & Epiſcopus Atrebatenſis *inconſultâ Sede Apoſtolicâ* negotium in diſceptationem, tum etiam in Iudicium fortaſſis apud ſecularem Curiam deduxerant. At Nos ne graviora ſcandala ſuboriantur, paternè conſulere, & celeri remedio conſulere volentes: cauſam & cauſas hujuſmodi, ſi quæ coram quocumque Iudice introductæ reperientur, ad Nos harum ſerie avocantes, illaſque penitùs extinguentes, ac *perpetuum deſuper tum Parochis tum aliis prædictis ſilentium imponentes*, præſenti Noſtro Decreto *Sancimus* licere ſecularibus univerſis *liberè* Miſſas diebus Dominicis, & aliis majoribus Feſtis audire in Eccleſiis tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis Ieſu *juxta illorum Privilegia & antiquas conſuetudines*: dummodo in contemptum Parochialium Eccleſiarum non faciant. Et tàm dictis Fratribus Prædicatoribus & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis Privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis peccata ſua etiam *quadrageſimali & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe.* Dummodo tamen iidem Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ die Feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant. Proinde Tibi per præſentes committimus & mandamus, ut præſens Noſtrum Decretum prædictis Archiepiſcopo Cameracenſi, & Epiſcopo Atrebatenſi notum facias, iiſdem Auctoritate Noſtra Apoſtolica mandes, ut illud in prædicto Oppido Duacenſi, & ubicumque opus fuerit, publicari & obſervari faciant: Vtque *Parochos in eorum Officio contineant, illoſque ab avocatione populi ab Eccle-*

cleſiis Privilegiatorum ac etiam à propoſitionibus, quibus tollitur populo libertas audiendi Miſſas in Eccleſiis Privilegiatorum ſupradictis diebus, ac confitendi peccata ſua, etiam in Paſchate, ipſis Privilegiatis, abſtinere faciant. Ipſis verò *Privilegiatis* eâdem auctoritate præcipias, ut in Concionibus & Catechiſmis populum ipſum, tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas, præſertim Dominicis & aliis ſolemnibus Feſtis diebus audiendas, tum ad Decimas, reſque aliàs Eccleſiiis debitas ſolvendas frequenter *moneant & adhortentur.* Ac denique omnem hujuſmodi controverſiæ occaſionem præcidere & tollere, & Chriſti fidelium animos ad unionem & quietem traducere cures: omniaque præmiſſa publicari & exequi, adjectis etiam cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis tibi benè viſis pœnis, opportuniſque omnibus juris & facti remediis adhibitis, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ 22. Decembris 1592. Pontificatus noſtri anno primo. Signatum

M. Veſtrius Barbianus.

Hoc breve Apoſtolicum, juſſu Sanctiſſimi Domini publicatum fuit per Reverendiſſimum Epiſcopum Atrebatenſem in Eccleſiis Parochialibus Civitatis & urbis Atrnbatenſis 4. Aprilis 1593. P

BIBL. NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ERRATA SIC CORRIGE, ET DVBIA INTELLIGE.

Num. 6. *bradictis*, lege, *praedicta*. Num. 12. *dic* 13. l. 23 Num. 14. *oppidi* 28. l. 18. Num. 35. *dictio-ne* 12. l. 112. n. 1. 2. 3. 4 5. 6. *l.* 9. & 11. *cod. de hered. inſt.* Num. 45 *Navar. cap. 21. in fine l. cap. 21. n.* 3. *in fine*, Num 57. *ita expreſſe l. ita, ut ipſe accepit, expreſſe* &c. Num. 59 deeſt linea inter illa, *qua lemum*, ut autem lege, *qua requirat judicium de honeſta cauſa omiſſionis, (ut praemiſerat in libro ſuo n. 411. 412) & vera obligatio accedendi Parochialem Eccleſiam demum locum habeat* &c. Num. 146 *cap.* 12. l. 21 Num 220 *Tridentinum* l. *Florentinum*. Num. 264 *numerus* 4. l. 416. num. 239 in fine, adde, *cap. omnis* *ij de poenit. cap.* 15 *ij de off. ord.*

Item illud Marchantii num. 171 *reducens nec voluit, nec potuit* &c? intellexit appellans in ſenſu compoſito, ſic ſcilicet quod Gregorius XIII, *reducens* Bullam Pij V. ad terminos Tridentini Concilij, communis Iuris & ejus quod ante Tridentinum Concilium erat, eandem in punctis concionis & miſſę, (quibus tam ex Iure communi quam ex varijs privilegijs ſatisfiebat illas audiendo apud Regulares) confirmavit potius quā abrogavit. Nec per id loquendi genus abrogat jus illud potuit, licet alias tam dicta privilegia quā Tridentini decreta reformationem concernentia poſſet indubie immutare pro varia Reformationis neceſſitate, utilitate, &c.

Item quod dicit appellans N. 115. *non niſi honeſtatis obligationem loco praefato inducit*, non intelligit tam latè quod dicitur, *honeſtum eſſe ſervare Evangelica Conſilia*, ſed intelligit, prout explicuit in ſuo libro, N 411 & 412 ſcilicet quod illa obligatio (quæ alias foret abſoluta) ſit ita modificata per illud, *ubi commode fieri poteſt*, ut demum locum habeat, ſi nulla ſit honeſta cauſa ſe abſentandi, aut potius ad Regularem Eccleſiam ſe conferendi, ſeu (quod eodem redit) illud *commodè*, non tam ſtrictè accipitur, ut excludat honeſtam abſentię cauſam.

Nihil itaque adverſus Appellantis doctrinam facit nuperum, & poſt hęc impreſſa viſum, Archiepiſcopi Mechlinienſis decretum; quod potiſſimum dirigitur adverſus Paſtores, negligentes tradere rudimenta fidei, & cathechiſmos. Quatenus autem de *Concione* agit, nec determinat quanta per Tridentinum imponetur obligatio, nec an illi ſatisfiat audiendo miſſam & concionem in Eccleſijs Regularium, nec obſervatæ tamdiu, ſine noxa, populi libertati, dictorumque Regularium privilegijs derogat; nec derogare potuit, licet (quod non) derogare voluiſſe, permanet ergo jus, & interpretatio hactenus tradita & obſervata.

Ad num 305 adde, *praeſertim ab Amadeo Guimenee, Barboſa, Amico, Palao, Sayro, Hurtado, Fagnano, Mendo, quiplerosque ex allegatis ab appellante hinc pro & contra magno numero adducunt & quidem Mendo ſemper ſuos, hoc eſt è Societate. Conſultero iam citatos poterunt illi quibus adeo mirum eſt quomodo appellans tot in libro ſuo citare potuerit, & pervolvere, quaſi vero quoties Iuriſconſultus citat Baldum, Bartolum, Iaſonem, & Theologus, Scotum, Thomam, Suarem, & omnia eius opera à capite ad calcem pervolverit.*

Denique qui nova objicere vult, prius objecta probare debet, *can.* 1. *cau.* 1. *q.* 10.